Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Xenophon

XENOPHON-||TIS CYRI PAEDIAE || Liber quartus.|| IOANNE CASELIO || interprete.|| CHIONIS Platonici epistolae ab || eodem Latinè redditae.||

Rostock: Möllemann, Stephan, 1584

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn863619088

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

3971

47. *Caselius*, J., Xenophontis Cyripaedia. Rostochii 1578.
pgb.

Banér
Djursholm



Cc - 10105/1 1-5

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863619088/phys_0002

Jacobus Tolen
me suis annumerat.

Anno 1678.

Ex
Bibliotheca
Academiae
Rostochiensis



Universitäts
Bibliothek
Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863619088/phys_0003

Ηροδοτος θαλεία. 139. Κύρου ἀρετῆς ἐξοχή. Ζωπήρου δὲ οὐδεὶς ἀγοθοεργιὴ περσέων ὑπερβάλετο παρὰ δαρείῳ κριτῇ, οὔτε τὸ ὕστερον γενομένων, οὔτε τῶν πρότερον, ὅτι μὴ κῦρος μοῦνος. Τούτῳ γὰρ οὐδεὶς περσέων ἠξιωσέκω ἐὼν τὸ συμβαλέειν.

Πλάτων κρίτωνι. 18. ἢ γὰρ οὐ χρῆν ποιεῖσθαι παῖδας, ἢ ξυνεταταλαιπωρεῖν καὶ τρέφοντα καὶ παιδεύοντα.

XENOPHONTIS CYRI PÆDIÆ

Liber quartus.

IOANNE CASELIO
interprete.

CHIONIS Platonici epistolæ ab eodem Latinè redditæ.

ROSTOCHII
Stephanus Myliander excudebat.
ANNO
CIↃ IↃ XXCIV.

AD HENRICVM VON DER LVHE, virum nobiliſsimum, conſiliarium ducum Brunſuicenſium.

QVI Luiadûm, quiq; tuas, nobilis ô flos
Henrice tuorum, velit explicare laudes,
Vati latices è Clario fonte miniſtrent,
Vel ſponte ſua Pierides, bonis paratæ.
Nam militiæ nomine, litterisque claret
Priſcis ab auis Luia gens, & hocce ſeclo.
Te regibus & principibus facit beatis
Tritonia carum, & Themis, & nepos Atlantis.
Sed carmine in os te celebrare, nec pudoris
Noſtri fuerit: nec patiare tute idipſum.
Veros etenim omni ſtudio ſemper honores
Sectatus, inanes ſapiens ſpreueris vmbras.
Sed fer tamen, vt ſic merito tibi & merenti,
Promptas memori pectore gratias agamus.
Erga me animum, non modo ſermone, tabellis,
(Se his fallere plerumq; homines ſolent viciſsim)
Re, non monitus, ſæpe probas optimus vltro:
Sic, non aliter, ſic faciunt viri politi:
Sic viuere oportet: pereat nomen amici,
Si qui ore ferat, corde neget, deleat autem
Facto. Sed amicus mihi tu integer: nec vſquam
In re facili, difficili, velis deeſſe.
Quem Scipiades in precio ſemper habebat,
Vt præ reliquis Mæoniden ſatus Philippo,
Lingua Auſonia, noſtra opera prodit in auras.
Si forte vacat, redde duci nec occupato:
Hæc ipſe amat: hæc ipſe legit: legatq; ametq;:
Ipſe inq; ſui hæc imperij transferat vſus:
Cuncta à populo arcens mala, largiens ſalutem:
Hoc eſſe ego regem auguror, à Deo ſecundum.

IOANNES CASELIVS.

Bibliotheca Academiae Rostochiensis

AD REVERENDISSIMVM & illustrissimum principem, Dn. HENRICVM IVLIVM,

Episcopum Halberstadiensem, Administratorem Mindensem, Ducem Brunsuicens. & Lunæburg.

Proœmium

IOANNIS CASELII.

REdeo ad te, princeps Henrice Iulj, iterum ex benè longo interuallo: & tardius equidem quàm voluerimus. Ego autem mandatorum tuorum non fueram oblitus, quæ diligentia mea, si quid de voluntate tua suspicarer, facilè anteuerterem. Et enim ipse nihil malim, et debere me intelligo. Non solum namq; sit ex vsu nostro, qui humiliores sumus, vt omnibus obsequiis siue studiis vos principes viros nobis deuinciamus, sed etiam omnino fas est, vt, quæ à nobis flagitatis, præsertim, si eadem quoq; ad remp. faciant, lubentes, rebus relictis, præstemus. Taceo, quod iampridem in ære tuo sum: quem & ornes vltro, & perseueranter ames. Hæc

animi constantia cum sit in paucis mortaliũ, est in tanto iuuene hoc admirabilior, quo in regibus rarior. Hæc res facit, vt quod debeam, velim etiam maximè: etsi vltro volo. Volumus enim profecto iis gratificari, quos in precio habemus, & in hoc omni contentione laboramus: nec antè somnum capiamus, quàm quod tantopere volumus, perfecerimus. Ego autem te, Henrice Iulj, à multis annis admodum etiam puerum, de quo mirifica expectatio sermonibus bonorum passim gentium celebrabatur, amaui, et deinceps cum te vidissem, quæq; fama tantum acceperam, prorsus ita esse comperissem, valdè amaui. Licet enim mihi ad te eo verbo vti, quo pares aduersum pares vti consueuerunt: cum neq; ego me propterea tecum comparem, (quid enim stultius?) & aptius frustra cogitando quæram. Nunc porro te summa obseruantia colo, qui cumulatissimè tantæ exspectationi indies magis magisq; satisfacias. Itaq; ne me tergiuersatum putes, aut negligentia fuisse lentiorem. Conatus autem meos tibi gratificãdi retardauit domesticus idemq;

gra-

grauis luctus, quem si humanè tuli, quod fateor, nec quid causſæ habeo, cur negem; non sim credo reprehendendus. Nec tamen ita parui dolori, vt labores fugerim, quorum esse solerem haud impatiens: quin ad agendum me retuli, ne me ægritudini mancipa-rem: Sed cum accederent aliæ molestiæ, vt fit; aut non ita, vt voluj, aut tardius, quàm volui, ad hæc accessi: iamq; aliq̃ partem vigiliarum tibi destinatarum ad te mitto. Addidi Xenophonteis epistolas Chionis Heracleotæ, iuuenis fortißimi, quem optimis disciplinis imbuerat ipse Plato. Eas libenter quoq; leges, tum quod sunt perelegantes, nec minus eruditæ, tum quod hunc nostrum Xenophontem singulari elogio ornant. Confirmaberis simul in nobili isto instituto, nisi iam te penitus confirmasti, quemadmodum de tua ætate, doctrina, & iudicio mihi persuadeo: sed tamen quæ vera esse iam non dubitas; eadem ita sensisse atq; ita se habere re ipsa, comperisse optimos quosq; gaudebis. In ceteris vero hoc amplectêris, quòd studiis litterarum haudquaq̃ breue tempus Chio destinauerit.

Pluribus enim annis viuens Athenis, idq; cum Platone, nihil aliud agere, quàm audire, inuestigare, & meditari præcepta sapientiæ in animum induxerat: non vt deinceps ea abjiceret, quæ colenda sunt cuilibet in perpetuum, sed iis instructus patriæ necessitati subueniret. Sed Alexandrum ego tibi Philippi filium proponam: qui doctissimorum sui seculi hominum, siue potius omnium seculorum principi, ipsos annos octo operam dedit. Tandiu n. eum erudiit Aristoteles omni genere liberalis disciplinæ: etiam in hac, quæ naturæ rerum indagatrix perhibetur: sed potissimũ tamen in politicis, quibus ad imperiũ informaretur: vtq; numq̃ deesset occasio disputãdi de officio boni viri et boni imperatoris, Homerum discipulo summo summus magister quotidie interpretabatur: qua de re tecum, itemq; cum aliis tui ordinis sæpius egi & accuratius. Ac deinceps inter arma, & audiuit sapientes, & sapientum monumenta non minus, quàm arma tractauit: in quo instituto quamdiu perseuerarit, nihil sẽ indignum admisit, et laudem meritus est verissimam.

Ve-

Verum quid longinquis vtar, cum domestica in promptu sint, quæ te siue excitare siue confirmare mirificè possint: immo teipsum imitaberis, à quo discedere tibi iam amplius esse integrum non potest. Nemini enim licet seipso deteriorem fieri. Neq; etiam hoc fieri possit. In quo enim quisq; rectè & ordine inchoato & exercito, se exerceat; & in eo non potest non perseuerare, & id agit tum perfectissimè, tum quod de re maxima mirum videatur, facilimè: quin secus agere nõ queas, neq; velle possis. Nam artifex forte aliquis, si velit, opus suum viciet, aut, vt nolit, aberret: vir autem bonus & bonus princeps ab officio, ille boni viri, hic boni principis, in nullam partem deflectet, neq; poterit, neq; volet. Volet enim nihil, nisi rectum: neq; poterit contrarium, in quo se non exercuerit, à quo abhorruerit, & vehementius indies atq; vehementius abhorreat. Valdè tamen te iuuabũt sermones sapientum, quorum consuetudine reges fieri sapientiores veteri Græco versu celebratum est: quos non est vt longè arcessas, cum virtute et litteris præstantes domi

domi viros alas. Neq; desines hoc genus scriptorum legere, quod negligi à pluribus neq; nouum est, neq; omnino mirum. Minus enim monumenta sapientũ pleriq; intelligunt, quam graphicæ rudes de pictis signis iudicẽt. Tu autem intelligis cum paucis tui loci bonis & rectè eruditis. Ceteri non intelligunt, vt Vitruuium vix aliquis, nisi architectus, libros de instruenda acie & arte imperatoria Pyrrhi, si extarent, potissimum militiæ dux & imperator. Tua n. in illis ars continetur, nempe politice, siue regia, quæ cum illa eadem est. Tua autem, non quia eam te scire tuum est, sed quia ipsam & probè didicisti, & fideliter tractas. Non igitur leuis aut ieiuna laus est principis, oracula sapientiæ intelligẽtis: nec ea laude Dion Chrysostomus Traianum etiam afficere dubitauit. Sed his litteris neque monere te, neq; laudare instituì, quorum illud opus non est, hoc siue ipse siue alij facient in loco: de mora, plus quam annua, purgare me tibi debui. Hoc tamen ipsum feci breuius, humanitate tua fretus. Opto, ne tertiùm me excusem. Nam quod in me erit, ita viuam, summa diligentia, matureque præstabo.

Vale. Rostochio. Kal. Ian. Anno CIↃ IↃ XXCIV.

XENOPHONTIS
CYRI PÆDIÆ
LIBER QVARTVS.

QVO narratur, vt Cyrus commisso prælio, nec hostibus iterum paratis ad pugnandum, copias in castra reduxerit, omnibusq; ordine constitutis orationem habuerit, qua gratiis actis milites confirmaret: vt victoriam Cyaxari gratulabundus nuntiarit: vt hostes fuga sibi consuluerint: vt consilium de hostibus persequendis Cyrus cum suis ceperit: vt Cyaxari consilium illud exposuerit, & ab hoc impetrarit, quotquot Medorum sponte sequi vellent: vt Hyrcanij ad Cyrum legatos miserint, ostendentes defectionem ab Assyrijs, & petentes societatem: vt exercitus hostes persequutus sit, cum simul ostentum de cœlo appareret: vt Hyrcanij data vtrinq; fide ad Cyrum transierint: vt coniunctis copiis communes hostes assecuti profligarint: vt castris occupatis hostium ingentem prædam adepti sint: vt Cyrus omnia constituerit, atque inter cetera, vt reuersos è prælio lautissimè exciperent, Persæ frugaliter cænati excubias agerent: vt in contione cum suis consultarit de instruendo equitatu Persico: vt captiuos benignè dimiserit: vt arma ferentibus pacem obtulerit, & confirmarit: vt copias in tabernacula, in quibus prompta erant omnia ad cultum & victum, deductas distribuerit, eaq; militibus propria sic instructa assignari iusserit: vt interea Cyaxares cum suis epulatus sit: vt postridie animaduersa Medorum discessione, & Cyro & Medis valde indignatus nuntium, cum mandatis minacibus miserit, qui prosus reuocaret Medos: vt nuntium exceperit & tenuerit Cyrus: vt cuidam è suis litteras & mandata dederit, quem miserat potissimum ad nouas Persicas copias adducendas: vt Medis & Hyrcanijs partitionem prædæ vniuersæ mandarit, & Persis suis equos petens exceperit: vt equitatum Persicum instruxerit: vt Go-

bryas procerum Assyriorum princeps ad Cyrum veniens, expositâ calamitate, quod vnicum filium regis filius, (iam hic in imperio successerat) in venatione crudeliter trucidasset, cum Cyro icto fœdere se coniunxerit: vt partita præda Cyro dederint tabernaculum, & formosissimam mulierem Susida, & duas musicas: vt musicæ artis cultori, cum se hoc beneficium cupere præ se ferret, donauerit alteram, addito insigni vereq; regio dicto: maiorem se gratiam habere petenti beneficium, quàm habere posse videatur, qui id accipiat: vsqueadeo esse de omnibus bene merendi sitientissimum.

CYRVS porro eo loco satis diu cum exercitu commoratus, indicabat, se paratos esse ad pugnandum, si hostis prodiret. Cum autem appareret nemo; quàm longè visum fuit, reductis copiis, castra posuit. Constitutis deinde excubiis & emissis exploratoribus, milites suos conuocat, progressusq; in medium, dixit in hanc sententiam.

De incolumitate & victoria Dijs gratias agit, & vt agant milites hortatur: collaudat eosdem, & quos intellexerit præ ceteris egregiè se gessisse, ijs pollicetur præmia: Chrysantam modo & laudibus & præmio afficit, cuius factorum spectator ipse fuisset: cohortatur denique omnes ad virtutem bellicam.

Ego primum, Persa, Diis gratias ago, quantas queo, vosq; ni fallor, vnà mecum: post quam ipsi incolumes victoria potiti sumus:

mus: pro quibus eorum erga nos meritis, ex iis, quæ nobis suppetunt, gratias ipsis quoq; referre par est: vobis etiam nunc omnibus gratias ago: quando, quas res gessimus, omnes præclarè gessimus: nec non cuilibet vestrum, vti meritus fuerit, postquam, ex quibus oportet, cognouero, quid quisq; præstiterit; & agam gratias, & debitum præmium persoluam. Verum de Chrysanta centurione, cum mihi proximus fuerit, non necesse habeo scisciari ex aliis, sed huius viri virtutem ipse perspexi. Primum enim, omnium, quæ vos præstitistis, mea opinione, nihil prætermisit: deinde, vbi ego iussi receptui canere, cumq; id ei nominatim mandassem; ibi ille, licet in hostem iam gladium strinxisset, eu estigio mihi parens, & quod in animo habebat, reliquit, & quod iubebam, exsecutus est. Nam tum canebat receptui, tum ceteris, idem vt facerent, incredibili studio denunciabat: atq; ita centuriam suam citra teli iactum constituit antè, quàm hostes nos referre pedem animaduerterent, ne possent

videlicet arcus tendere, aut iacula in nos conijcere. Itaq; non solum ipse saluus euasit, sed suos quoq; milites seruauit, quod esset dicto audiens. De ceteris autem, quibus imposita vulnera video; de iis sententiam meam declarabo, vbi cognouero, quo tempore ipsi vulnera acceperint. Verum hunc Chrysantam, obeuntem pulcrè munia bellica, prudentia præditum, scientem parère & imperare, in præsentia dignitate tribunatus orno: quin, vbi Deus aliis nos bonis cumulauerit, tum quoq; eius rationem habebimus. Vos vero monitos etiam omnes volo, vt, quæ in hac pugna vidistis, semper memoria teneatis, & cum animis vestris reputetis. Sic enim semper apud vos constitueritis, virtúsne potius an fuga incolumes præstet: vtrum item ad manus conserendas prompti, an tergiuersantes facilius excedant prœlio: denique quanta sit voluptas ex victoria. De his enim modò rectè iudicium positis facere, postquam & feciſtis periculum, & rei recentis exitum videtis. Quæ cum animis vestris

ſtris ſemper cogitantes, indies præſtantiores euadetis. Iam vero, vt in deos pij, boni, & modeſti viri, canate, dijs libate, pæana canite, ſemper de omnibus, quæ iubebuntur, ſollicitii.

Celebrare voluiſſe Xenophontem paſſim in inſtitutis & rebus geſtis Cyri diſciplinam Laconicam, auctor eſt doctiſſimus Camerarius: à quo non diſſentio. Obedientiæ laus ſumma erat apud Spartanos, & hanc valere plurimum, adeoq; primum locum tenere ſæpe in hiſce libris oſtenditur. Cum eo quoq; quod fecit Chryſantas, congruit Laconis factum, relatum à Plutarcho. Suſtulerat ille in acie gladium, quem in hoſtem impingeret. Non impegit autem, cum receptui caneretur. Cum interrogaretur, cur hoſtem, quem in poteſtate haberet, non trucidaſſet: Quia, inquit, ſatius eſt duci parere, quàm hoſtem interficere.

His dictis, equo conſcenſo, contendit ad Cyaxarem, cui de victoria gratulabatur, nec minus ille huic, vt fit. Cum ita inuiſiſſet inuicem, & quæſiſſet, numquid vellet, ad exercitum ſe retulit. Iam tum fuerat peracta cœna, & rectè excubiis conſtitutis, ſomnum capiebant. Ceterum Aſſyrij, vtpote duce cæſo, vnaq; pleriſq; proceribus, animum abiiciebant omnes: nec non ex caſtris noctu multi aufugiebant. Quibus viſis Cræſus eiusq; ſocij omnes concidebant a-

nimo, vt qui in extremas coniecti essent angustias: verum maximam formidinem iniecit omnibus, quod potissima copiarum pars animum mutauerat. Sic igitur desertis castris noctu abeunt. Cum autem illuxisset, nec quisquam appareret in castris hostium: Cyrus statim illo primos Persas deducit. Reliquerant autem multas oues, multos item boues, multos etiam currus, commeatu multisq; aliis bonis onustos. Deinceps transibant eodem etiam Medi, quotquot ducebat Cyaxares, ibiq; prandebant. A prandio Cyrus conuocatis suis centurionibus cœpit ita eos alloqui.

Quæ quantaq; bona mihi videmur amisisse è manibus, à diis nobis oblata! Iam enim hostes metu nostri terga dedisse, ipsimet videtis. Qui autem è castello aufugere, numquid hi nos in campo exspectaturi videntur? Etiam qui, cum nostri non fecissent periculum, non constitere, quomodo consistent, postquam magna à nobis clade accepta victi sunt? cum item ex his præstantissimi

mi perierint; num putatis inferiores nobiscum prœlium inituros? Ibi quis: quid igitur, inquit, hostes non persequimur, ita certis propositis præmiis? Tum Cyrus: equi desunt. Principes enim hostium, quos aut capere aut interficere summa erat opportunitas, equis abeunt. Eos nos, Deûm beneficio in fugam vertere possumus: verum capere, quamuis insequamur, non possumus. Cur igitur, aiebant, ad Cyaxarem non is, hæc expositurus? Et ille: omnes igitur me sequimini, vt intelligat, nobis omnibus hæc videri. Ibi eum omnes statim comitati, ea dicebant, quæ ad rem, quam volebant, pertinere videbantur. Cyaxares autem, simul cœperunt dicere, velut subinuidebat: tum non improbabat, sibi nihil denuo periculi esse subeundum. Nam & hilaritati iam se dabat ipse, & videbat plerosque ex reliquis Medis in hoc ipso esse. Quare ita dixit: verum, Cyre, vos Persas præ cunctis mortalibus in hoc incumbere, ne ab vlla voluptate superemini; hoc equidem

ita oculis video, vt antè auditione acceperam. Mihi vero maximæ voluptati anteponenda videtur continentia. Vnde quæso maiorem voluptatem petamus, quàm ex ea felicitate, quam modo adepti sumus? Quod si igitur hanc felicitatem, qua in præsentia potimur, modestè conseruabimus, fortè possimus, periculorum expertes, beati consenescere: sin ea expleri nequibimus, & aliam atq; aliam sectabimur, cauete, ne nobis eueniat, quod multis mari euenisse referunt: qui quod felicitate perpetua mari hactenus vterentur, nauigare non destiterunt, donec perierint. Multi item victoriam adepti, desiderio nouæ, etiam veteris iacturam fecerunt. Etiamsi enim hostes, qui pares non erant nostris, fuga sibi consuluerunt: fortè impares etiam persequi, omni periculo vacaret. Verum nunc cogita, cum quàm exigua hostilium copiarum parte omnes prœliati victoriam obtinuerimis: neque tamen ceteri superati sunt: quos nisi ad pugnandum compulerimus, cum neq; suas vi-

res

res neq; nostras nouerint, partim imperitia, partim mollitie, abeunt. Quod si iam animaduerterint, sibi non minus veniendum in periculum, vbi cesserint, quàm si manerent; quomodo eos non cogeremus, etiam nolentes, facere, quod est virorum fortium? Neq; vero putes, te magis inflammatum esse ad ipsorum mulieres & liberos rapiendos, quàm illi sint ad eosdem tuendos. Considera, quemadmodum sues etiam primo intuitu fugam capessant, etiam si multæ sint, cum porcellis: sin quis suculam prehendat; ibi ne quidem vna sola scrofa fugiat, sed inuadit eum, qui conetur auferre suculam. Atq; nunc, cum se ipsi velut in castellum inclusissent, dederunt se nobis tractandos, vt cum quanta liberet multitudine confligeremus. Quod si iam eos in campo adoriamur, vbi non simul omnes vno loco pugnent, sed quidam ex aduersa acie, vt modò, alij à latere, alij ab altero latere, alij à tergo; vide, ne multos vnusquisq; nostrùm & oculos & manus desideret. Accedit vero etiam huc, inquit, quod

Medis, quos nunc frontem exporrigere videam, necessitatem nouam pericula adeundi imponendam non existimem.

Etsi ad Cyaxarem victoriæ gloria ex aliqua parte & fructus pænè omnis redibat; tamen, vt dictum fuit, nonnihil ipsum mordebat Cyri felicitas. Est enim hæc natura inuidiæ: πρὸς τὸν ἔχοντα ἕρπει, vt canit Thebanus lyricus: id est: vnumquemq; rebus secundis florentem adoritur: quem adoriri apertè veretur, ad eum serpit clanculum. Sed in bonos hic affectus non cadit. Nemo enim bonus bono boni quidquam inuidet: quin contra qui contra bonus est, voluptatem solidam capit, quoties boni aliquid sui similium cuipiam euenisse intelligit. Indignari autem, si indignos florere videas, malos videlicet, & malis artibus instructos; fortasse eam inuidiam aliqui dixerint, sed nemesis rectè appellatur. Ceterum Cyaxares non inuidia solum, sed metu & ignauia, deterrere Cyrum à persequendis hostibus conatur. Vtitur argumento honesto & cumprimis illustri: modum esse ponendum cupiditatibus, bonis partis fruendum, nec ea in discrimen iterum adducenda. Hæc planè cum ijs congruunt, quæ Cineas cum Pyrrho disputat, quem videbat vitam & finem vitæ ponere in victorijs & militia. Sic & Achilles apud poëtam sentit, cum ait: Ἄφρητωρ, ἀθέμιστος, ἀνέστιος. Qui se studio belli in perpetuum addixerit; eum societatem hominum negligere, leges opprimere, neq; suæ domus rationem habere vllam. Sed has sententias, quæ dicuntur ἔνδοξα, oratores vtcunq; suis rebus applicant, ijsq; etiam falsa pingunt: boni viri est, in sano consilio ijsdem vti. Cetera item argumenta non minus perspicua sunt. In ijs hoc quoq;, acriores fore hostes, quando pro liberis descendent in prælium: huc homines quidem maximè, sed tamen etiam bruta à natura instigari, & scrofam pro suculis pugnare. Quam sententiam pluribus verbis ita persecutus est doctissimus theologus Gregorius Nazianzenus in carmine, quod pro Nicobulo ad patrem scripsit:

Τοιῶ-

Τοὔνεκα καὶ δριμεῖα νέῃ περὶ πόρτακι μήτηρ:
ὡς δὲ κύων σκυλάκεσσι νέοις, καὶ πτηνὰ νεοσσοῖς
δῆριν ἄγει, στικτὴ δὲ διέσσυται ἀγρύοθυμος
πάρδαλις ἐκ ξυλόχοιο, Συῶν δέ τε μαίνεται ἀλκὴ,
χαίτη δενδρήεσσα, κόρης σέλας, ἀτμὸς ὀδόντων
θηγομένων καναχηδὰ, γένυς δέ τε βάλλετ' ἀφρῷ
ἱεμένων τεκέεσσιν ἀμυνέμεν, ἠὲ δαμῆναι.
οἶστρος γὰρ τόδ' ἔπεισεν ἀδιδάκτοισι νόμοισι.

Hanc orationem Cyrus excipiens: tu vero neminem, inquit, coëgeris: tantum mihi permitte voluntarios: fortaßis & tibi & amicorum tuorum cuilibet reportabimus, quibus omnes oblectemini. Neq; enim nos vniuersas hostium copias persequemur: (qua enim ratione eas caperemus?) sed si quid siue hominum, siue rerum, aut ab exercitu auulsum, aut à tergo relictum, capiemus, adducemus ad te. Cogita nos quoq;, rogatu tuo, tibi gratificatum aduenisse longum sanè iter: nec iniuria igitur contrà nobis gratificaberis, vt & nos aliquid reportemus domum, nec omnes in tuos thesauros oculos conijciamus. Ibi igitur cæpit dicere Cyaxares: verum si quis vltro te sequatur; ego equidem insuper tibi gratias habebo. Mitte igi-

tur, inquit Cyrus, vnà mecum ex hisce tuis familiaribus aliquem fide dignum, qui mandatum tuum exponat ceteris. Tu vero, inquit, delige ex his, quem velis. Cum ibi adesset is, qui aliquando Cyrum propinquum suum esse dixerat, cumq; osculo fuerat dimissus; statim Cyrus, hic mihi satis est. Quare, inquit Cyaxares, ille tibi comitetur: tuq; dic, vt, qui velit, ad Cyrum se conferat.

Quare cum hoc abiret. Vix erant egressi, cum ita Cyrus: nunc igitur re ipsa probabis, quàm verè dixeris olim, te delectari conspectu meo. Id si dicis, inquit Medus, nusquam equidem à latere tuo. Atq; hoc ipsum, inquit Cyrus, etiam ceteris non grauatè expones: Et ille iurans insuper: per Iouem, inquit, faciam omnia, donec perfecero, vt non minus tu meo quoq; conspectu delecteris. Tunc igitur ille, ablegatus à Cyaxare, & cetera cupidè admodum referebat Medis, & hoc addebat, se à latere nusq; abiturum principis optimi & pulcherrimi, quodq; maximum foret, à Diis orti.

Homeri

Homeri hoc est, immo veterum poëtarum, vt reges à dijs ortos prodant. ἐκ δὲ διὸς βασιλῆες. Item ipsi reges appellantur διογενεῖς, Ioue sati. Præclarè: auctor regni & exemplar est Iuppiter. Imperia diuinitus constituuntur, in quibus administrandis Iouem reges æmulari debent, qui depulsor malorum est, & largitor bonorum. Atq; hic locus explicatur diuinitus à Dione Chrysostomo in libris de regno.

Quæ cum faceret Cyrus, quàsi diuinitus, adueniunt ab Hyrcaniis nuncij. Sunt autem Hyrcanij finitimi Assyriis, at gens perexigua: quæ res fecit, vt subiecti essent Assyriis: videbantur tum equorum studiosi, atq; etiamnum esse videntur. Itaq; vt Lacedæmonij Sciritis, sic Assyrij hisce vtebantur: neq; quidquam ipsis parcebant, siue labor esset tolerandus, siue adeundum periculum. Eo autem tempore ipsis, qui erant equites mille, mandarant, vltimas excubias agere, vt si quod à tergo ingrueret malum, id hi pro illis exciperent. Ibi Hyrcanij, qui videlicet postremo loco processuri essent, & currus suos & familiam secum postremo loco habebant. Quam enim rationem in militia tum Hyrcanij sequebantur, eam sequuntur plerique in Asia, quibuscum habitant. Cum au-

tem cogitarent, se magnopere premi ab Assyriis, ipsorum item ducem occidisse, res esse desperatas et perditas, trepidari admodum per vniuersum exercitum, socios animis concidisse & deficere: hæc cum cogitarent; optimã ad deficiendum occasionem nequaq̃ è manibus dimittendam putabant, modo Cyrus vellet communes iam hostes adoriri. Ac mittũt ad Cyrum legatos. & superiori enim prælio Cyri nomen maximè celebrabatur. Hi igitur legati exponunt: iure sibi inuisos esse Assyrios, seq̃, si illos pergant persequi, & socios ipsis & duces futuros: præterea quoq; commemorabãt, quo loco essent res hostium, vt qui quàm maximè Cyrum accendere studerent ad continuandum bellum. Quærebat autem ex iis Cyrus, numquid, inquit, eos assecuturi videmini antè, quàm in propugnacula se recipiãt? Nos enim loco magnæ calamitatis habemus, quod ita repente elapsi sunt. Hoc addebat, vt alteri sibi in Cyri copiis hoc magis esse præsidij statuerent. Responsum est, si postridie prima luce insequerentur, de-

pre-

prehendi posse: quod præ turba et ob currus pedetentim procederent: præterea aiebant, cum superiorem noctem insomnem egissent, iam non ita multum progressos castra posuisse. Tum Cyrus potestisne, inquit, certis quibusdam argumentis probare, vos verum dicere. Statim, inquiunt, profecti, etiam hac nocte obsides adducemus: tu vero tantum testatus Deos data dextra fœdus hoc firma: vt, quod à te acceperimus, idem & ad ceteros perferamus. Icit igitur fœdus cum Hyrcanis, hac conditione, vt si in iis perseuerent, quæ promiserint; amici sint & socij, et apud ipsum non deteriore iure censeantur, quàm Persæ & Medi. Etiam vero hodie videre est, quemadmodum fidi socij illi horum habeantur, nec minus ex iis, qui digni sint, adeunt ad honores, quàm Persæ & Medi.

Imbecilles opprimi à potentioribus & documento sunt huc Sciritæ Lacedæmoniorum. Sciritas fuisse tamen etiam in honore, vt in arte militari longè exercitatissimos & viros fortes, mihi in dubium non venit. Horum fit mentio apud Thucydidem libro quinto: præsto ibi erant Sciritæ regi Agidi, sinistrum tenentes cornu, qui locus ipsorum in acie semper proprius: nec non ibi ipsi Lacedæmonij appellantur, licet deteriore conditione essent.

Parum

Parum subuenit nobis scholiastes: λόχος λακωνικὸς, inquit, οὕτω καλούμενος: ad rem faciunt obseruata à Camerario: dictos fuisse Sciritas ab oppido Arcadiæ Sciro. Idem & hunc locum producit ex libro XV. Diodori Siculi, vbi de rebus Agesilaj agitur. ὁ δὲ σκιρίτης καλούμενος λόχος παρὰ τοῖς σπαρτιάταις οὐ συντάττεται μετὰ τῶν ἄλλων, ἀλλ' ἰδίαν ἔχων σύστασιν, μετὰ τοῦ βασιλέως ἵσταται, καὶ παραβοηθεῖ τοῖς αἰεὶ θλιβομένοις μέρεσι: συνεστὼς δὲ ἐξ ἐπιλέκτων ἀνθρώπων, μεγάλας ποιεῖται ῥοπὰς ἐν ταῖς παρατάξεσι, καὶ κατὰ τὸ πλεῖστον αἴτιος γίνεται τῆς νίκης. Ceterum qui vi adiunguntur, & eadem ratione tenentur, odio seruitutis & spe libertatis, nec fidem seruant, quam se tutò violaturos sperent, & occasionem ad vlciscendum seu deficiendum non esse sibi negligendam statuunt.

Porro cum cenassent, & adhuc luceret, exercitum eduxit, iussitq́; exspectare Hyrcanios, vt simul procederent. Persæ igitur ad vnum omnes, vt par erat, statim præsto erant, nec non Tigranes cum suis copiis. Contulerant autem Medorum aliqui se ad Cyrum, quod cum Cyro puero pueri amicitiam coluissent: alij quod in consuetudine venationum ipsius mores fuissent admirati: alij, vt gratos se ostenderent, à quibus magnum metum depulisse videretur: alij, quod sperarent, cum vir non minus felix esset & magnus, quàm bonus, eius res indies meliores fore & beatiores: alij contrà ipsi gratificari vole-

volebant, quibus, cum educaretur apud Medos, boni alicuius adiutor fuisset: (multis autem ille, qua erat erga omnes summa humanitate, ab auo multa bona conciliauerat) multi denique, visis Hyrcaniis, iactatoque sermone, hos magnorum commodorum auctores futuros, hanc sibi vnà expeditionem suscipiendam putarunt, rei faciendæ gratia. His igitur de caussis pœnè vniuersi Medi progressi sunt: iis exceptis, qui Cyaxari ad tabernaculum præsto erant. Nam hi manserunt, et ipsorum famuli: verum ceteri omnes alacri & prompto animo proruebant: vtpote qui non facerent hoc coacti, sed vltro & beneuolentiæ gratiæque caussa. Cum apparuissent iam omnes, principio ipse ad Medos egressus, tum eos collaudauit, tum exoptauit, primùm Deos ipsos & sibi suisque propicios esse & duces: deinde sibi dari aliquando facultatem referendæ gratiæ pro summa hac promptitudine. Ad extremum igitur peditcs antecedere iussit, & ceteros equis subsequi: iussit item, quo loco aut quiescerent, aut consi-

 sterent,

sterent, aliquos ad se contendere, qui viderent,, quid quoq; tempore factu commodum esset. Tum legati quærebant: quid non exspectas, donec obsides adducamus, vt & tu firmato fœdere procedas? Tum Cyrus respondisse fertur: intelligo, nos cunctos fidem in nostris animis & manibus habere positam. Sic enim videmur instructi esse, vt, si verum dicatis, obstringere vos beneficio valeamus: sin fallatis; sic quoq; nos paratos putamus, vt minimè nos quidem in vestra potestate simus, sed potius, si Deus velit, vos in nostra potestate sitis. Ac sanè, inquit, Hyrcanij, quando dicitis vestros vltimo loco procedere; vbi ipsos videritis, significate nobis, vt eis parcamus. Quibus auditis Hyrcanij præcesserunt viæ duces, vt iusserat: mirabanturq; animi illius magnitudinem, neq; iam Assyrios, neq; Lydos, neq; quodcunq; erat sociorum amplius metuebant: sed hoc, ne Cyrus prorsus susq; deq; faceret, siue ipsi adessent, siue abessent. Inter progrediendum vero, cum iam nox esset, lux Cyro & exercitui

citui cœlitus affulsisse dicitur, vt omnes, metu quidem erga numen cohorruerint, animos vero sumserint aduersum hostes. Cum autem expediti celeriterq; irent, nimirum multum viæ confecerunt, ac diluculo venerunt ad Hyrcaniorum copias: quo animaduerso legati ad Cyrum aiunt, hosce suos esse: nosse enim, & quod sint vltimi, & ex ignium multitudine. Mittit deinde ad eos legatorum alterum, qui diceret, si amici sint, vt quàm citissimè obuiam progressi dextras porrigant. Aliquos vero ei adiungit, qui Hyrcanijs dicerent: quod aduenientes viderent facere, id se ad eundem modum facturos. Sic ergo legatorum alter apud Cyrum manet, alter tendit ad Hyrcanios. Interea vero dum exspectaret Cyrus, quid facturi essent Hyrcanij; tenuit copias: iamq; tribuni Medorum accurrunt & ipse Tigranes, & quærunt, quid se velit facere. Hæ vicinæ, inquit, sunt Hyrcaniorum copiæ, iamq; ad eos legatorum alter transiit, vnaq; aliqui ex nostris, qui nuncient: si amici sint, vt cuncti accurrentes

dextras porrigant. Quod si fecerint; dextras porrigite, ei quisq; cui occurrerit, simulq; illos confirmate: sin ad pugnam se parent, aut fugam capessant; date operam, ne quis ex hisce primis elabatur omnium. Hæc summa erat mandatorum Cyri. Sed Hyrcanij cum audissent legatos, gaudio perfusi, in equos insilierunt, aderantq; porrectis, vt dictum fuerat, dextris: quos contrà & Medi & Persæ dextris exceptos confirmabant. Ita eos deinceps affatur Cyrus. Nos igitur, Hyrcanij, vobis iam fidem habemus: decet iam vos perinde erga nos affectos esse: verum hoc nos primùm docete, quàm longè hic absunt hostium principia & vniuersæ copiæ? Responderunt paullo longius, quatuor millibus passuum. Ibi igitur Cyrus: agite igitur, inquit, Persæ et Medi, vosq; Hyrcanij (iam enim vos compello, vt fœderatos & communes amicos) meminisse nos nunc oportet, nobis, quo loco sumus, si nos geremus molliter, paratam esse extremam calamitatem: (neq; enim fugit hostes, quid veniamus:) sin quantum

tum

tum in nobis est, hostes & viribus et animo adoriamur; extemplo cernetis, vt mancipia in fuga deprehensa, alios supplices fieri, alios fugere, alios se colligere non posse. Ipsi contra victi nos intuebuntur, cumq; arbitrentur, affuturum nostrum neminem, nullo ordine, ad præliandum imparati, capientur. Quod si igitur deinceps velimus iucundè cænare, pernoctare, vitam omnem agere; ne ipsis concedamus spacium, neq; ad deliberandum, neq; ad quidquam commodi parandum: ne hoc quidem, vt nos homines esse agnoscant: sed illi scuta, enses, gladios, hæc omnia, & vulnera venire arbitrentur. Ac vos, Hyrcanij, explicate vos, & præcedite nos, vt conspectis vestris armis, quàm diutißimè lateamus. Vbi autem ego ad copias hostiles accessero; singuli apud me turmam equitum relinquite: quibus, si vsus postulet, vtar ipse manens in castris: verum vestri tribuni & veterani conferti in acie pergite, si sapitis, ne hostes conferto agmine vos repellant, tironibus potestatem persequendi facite: atq; hi ob-

truncent. Hoc enim in præsenti tutißimum est, quàm minimum reliquum facere hostium. Quod si (multis id etiam victoribus contigit) fortuna nonnihil mutet; cauendum omnino est, ne ad legenda spolia vos vertatis. Nam qui in hoc incumbit, non iam ille vir est, sed lixa: quem, qui velit, tractare posßit, vt mancipium. Contrà sciendum alterum: in ipsa victoria esse posita omnia. Victor enim, iam diripuit omnia, viros, mulieres, omnem deniq; regionem. Huc tantum oculos conuertite, vt victoriam conseruemus. In hac enim comprehenditur is quoq;, qui spolia legit. Nec vero inter persequendum hoc vobis excidat, vt ad me vos recipiatis, dum adhuc lux est: quod noctu recepimus neminem. His dictis diuidit quosq; in suos ordines, iubens simul, vt illorum quisq; hæc suis indicarent decurionibus: (In fronte enim erant decuriones, vt exaudirent) at decuriones quemq; suæ decuriæ indicare iuberent. Exinde præcedebant Hyrcanij: ipse Cyrus mediam aciem tenebat cum

Per-

Persis: vtrinq;, vt oportebat, collocarat equites. Hostium autem, cum illuxisset alij mirari, quæ cernerent, alij rem iam intelligere, alij nunciare, alij clamores tollere, alij soluere equos, alij conuasare, alij proijcere arma de iumentis, alii arma induere, alii insilire in equos, alii equis frenos iniicere, alii mulieres subleuare in vehicula, alii res pretiosas tollere, quas seruarent, alii deprehendi eiusmodi in terram defodere, sed plurimi se in fugam dare: existimare autem oportet, eos etiam multa alia variaq; fecisse: præterq; quod pugnabat nemo, sed sine pugna cædebantur. Crœsus autem, Lydorum rex quod verebat, mulieres in rhedis noctu præmiserat, vt frigore commodius iter facerent, & ipse cum equitatu suo sequebatur: id aiunt fecisse eum Phrygem, qui Phrigiæ ad Hellespontum imperabat. Hi cum à fugientibus, qui eos iam erant assecuti, accepissent, quo loco res essent; & ipsi quoq; citato cursu fugerunt. Sed Cappadocum regem & Arabum, qui propè essent & inermes constitissent,

tissent, interficiunt Hyrcanij: Assyrij autem & Arabes cadebant quàm plurimi. Cum enim in sua regione essent, lentissimè iter faciebant. Medi igitur & Hyrcanii, cum superiores essent, insequentes, cuiusmodi solet, ea designabant. Cyrus autem equitibus, quos secum retinuerat, mandabat, vt obirent castra hostium, quosq; armatos egredi viderent, interficerent: qui se in castris continerent; iis per præconem edixit: quotquot essent hostilium copiarum equites aut cetrati, aut sagittarii; colligata ipsi arma adferrent: sed equos relinquerent in tabernaculis: contumaces capite mulctatum iri. Ita castra ordine cinxerant equites omnes strictis gladiis: sed hostes comportata arma, in quem iusserat locum, proiiciunt: quæ, quibus itidem mandatum fuerat, cremabant. Cogitans porro Cyrus, sine esculentis & poculentis suos adueniisse, quibus desideratis prorsus omnis iaceret expeditio & vniuersum negotium; dispiciendum sibi putauit, quemadmodum illa, quàm citissimè & rectissimè para-

pararentur. Venit autem ipsi in mentem, militantibus omnino opus aliquo esse, cui tabernaculum curæ sit, & quomodo regredientibus militibus parata sint necessaria. Censuit etiam tales maximè in castris iam fuisse relictos, quòd fuissent in rebus conuasandis occupati. Itaq; per præconem id genus ministrorum præsto esse iussit: & sicubi nullus esset, è tabernaculo ætate maximum: contumacibus omnia extrema denunciauit. Qui cum & heros dicto audientes esse viderent; statim parebant ipsi quoq;. Vbi accesserunt, primum iussit considere, quibus plus commeatus esset, quàm in menses duos. Vt hos contemplatus fuit; denuo iussit, quibus in vnum mensem. Inter hos pœne omnes consederunt. His probè cognitis, ita eos allocutus est: Agite, inquit, qui vestrûm mala à vobis procul esse cupitis, & aliquid à nobis optatis boni; incumbite diligenter in hoc, vt quibus in cibum & potum opus est, in vnoquoq; tabernaculo parata sint dominis & famulis, idq;, quæ in singulos dies parare

consueuistis, duplicata: facite etiam, vt quibus præterea ornetur cena, in promptu sint: quod extemplo adfuturi sunt, vtri superiores fuerint, volentq; alimenta copiosè sibi ministrari. Neq; dubitetis, ex re vestra fore, si aduenientes sic excipiatis, vt nihil desiderent. His illi auditis, magno studio, quæ mandata fuerant, exsequebantur. Cyrus autem conuocatis tribunis, talem ad eos orationem habuit.

Hortatur Cyrus suos milites, primùm, vt ne delicatis cibis, qui iam parati erant, inhient, sed quidquid erat lautitiarum, relinquant ceteris, paullo post è pugnam redituris, ipsi autem frugali cena contenti sint: deinde multo minus intempestiuè concupiscant opes, quas cogere ex præda ingentes facilè, nec tamen sine graui inuidia & incommodo possint: sed contrà potius nihil malint attingere omnium antè, quàm socij venerint, quos vt laborum & periculorum, sic fructuum omniumq; bonorum participes esse conueniat: sic socios firmiores fore: nec iaci fundamentum victoriæ maiorisq; felicitatis solidius aliud posse.

Licere nobis absentibus sociis cenare, exquisitisq; cibis potuq; frui, intelligimus. Verum mihi non videtur, ex hac cena plus ad nos redituram vtilitatis, quàm si appareat nostrum erga socios studium: neq; his epulis plus virium acquiremus, quàm si promptos face-

facere socios valeamus. Sin, qui hostes nostros & persequuntur & cædunt, & pugnant, si quis resistat, eos ita negligere videbimur, vt nos antè cenasse constet, quàm quid de illis certè compererimus, an non omnes turpiter nos fecisse iudicabunt, & infirmabimus res nostras, sociorum deinceps egentes? Contrà curam de illis suscipere, qui labores & pericula exhauriunt, vt reuersi rectè accipiantur; hoc conuiuium, si quid ego video, magis nos delectet, quàm si statim ventri studebimus. Cogitate autem, etiamsi nõ esset, cur puderet nos ipsorum; neq; tamen satietatem & ebrietatem dignam nobis esse. Neq; enim, quæ volumus, perfecimus, sed ea omnia iam vigent, requiruntq; summam industriam. Etenim in castris habemus hostes aliquot modis plures nobis, eosq; solutos, à quibus cauere nobis, quosq; custodire nos oportet, vt sint, qui cibaria nobis parent. Præterea absunt equites, qui cogitationem nobis injiciunt, vbi, & si veniant, simul nobiscum in perpetuum futuri. Quare censeo

id genus cibi potusq; nobis sumendum, cuiusmodi iudicentur maximè idonea, ne vel somno obruamur, vel stultitia. Præterea vero etiam haud me fugit, magnam vim pecuniæ in castris esse, facileq; fieri posse intelligo, vt, cum communia sint ea bona rapientibus, possimus interuertere, quæ velimus. Verum mihi non videtur quæstuosius esse, capere quæ possimus, quàm si iustitiæ cultores visi, eos nobis beneuolentiores faciamus, quàm antè fuerint. Quin ita sentio, pecuniæ distributionem permittendam esse Medis, et Hyrcaniis & Tigrani, vbi redierint, & nostrum esse, putare, id quoq; in lucro futurum, si fortè minus aliquanto nobis attribuent. Ob lucra enim libentius nobiscum manebunt. Nos enim si in præsentia plus capiamus commodi; diuitias adipiscemur non diuturnas. His igitur missis altera paremus, è quibus nascuntur diuitiæ: hoc illud est, mea sententia, quod nobis & nostris omnibus opes perennes præbeat. Arbitror vero etiam, nos in his exerceri domi, ventri vt imperemus,

Terent. Pecuniam in loco negligere interdum maximum est Lucrum. Plaut. Captiu. 136.

nec

nec succumbamus lucro intempestiuo, vt iis, si opus sit, commodè vti possimus: nec vero video, vbi disciplinam nostram in maioribus probemus, quàm in his ipsis rebus.

Diuitiæ sunt ex iis bonis, de quibus mortalium plerique inter se maximè digladiantur, pœne prima: sed his præstant fide præstantes socij & amici. Amicorum ope diuitias & parare & conseruare & facile & rectum est: ijsdem destitutus vel opes vix inueneris, vel quas habeas, earum iacturam feceris: accedit, quòd pecunia non effeceris, quod per amicos: aut si vtroque modo, illa sæpe turpiter, per hos honestè semper. Est igitur auaritia vna ex grauissimis pestibus ciuitatum, luxus altera: quærente etiam hoc in elegia sapientissimo Solone. Dum enim frugalem viuendi rationem aspernantur plerique ciuium, totos se ad occupandam pecuniam omnibus modis dare, prorsus necesse habent. Quid agendum, quo minus hi morbi inualescant in ciuitate? Primæ scilicet sunt horum malorum fibræ excidendæ: ad duram victus rationem à pueris adsuefaciendi ciuium liberi: quod adsueueris non erit graue. Non auferent te voluptates, quarum desiderijs non incensus sis: non cupiditates multiplices: & auri aceruos spectes, præteriens oculo irretorto, vt canit latinus lyricus. Ita se Persæ domi exercebant ab ineunte ætate, in primis in venatione, vt, vbi deinceps opus esset, in bello potissimum, cibi delicatioris cupiditate absentis non torquerentur, præsentis minus afficerentur, quemadmodum relatum quoque fuit libro primo.

Orationi Cyri assensus est Hystaspas, Persa, ex homotimis vnus, his verbis: Graue etenim foret, Cyre, venationem sæpe impransos sustinere, vt vnam belluam, neque for-

tè magni precij, in poteſtatem noſtram redigamus: iam cum venari vniuerſam conemur felicitatem, ſi quid eorum, quæ vilibus hominibus dominantur, egregiis parent, nobis obſtare patiamur; indignum profecto nobis facere videamur. His verbis aſſentiebatur Hyſtaſpas: atq; idem vniuerſi probabant. Tum, agite, inquit Cyrus, quando prorſus de hoc nobis conuenit: quinos mittite è manipulo viros lectiſſimos: hi caſtra obeuntes, quos cibaria præbere videant, collaudent: quos videant id negligere, plectant, mitius tamen, quàm heri ſolent: atq; hi hæc ita exſequebantur. Iam vero etiam Medorum aliqui currus, quos fugientes ipſi aſſecuti auerterant, aduehebant, refertos, quibus opus erat in expeditione, alij rhedas cum primariis fœminis, tum vxoribus, tum pellicibus, quas ſecum ob inſignem formam circumducerent: & haſce captas aduehebant. Namq; etiam hodie Aſiatici, quando militant, ſecum precioſiſſima habent: cuius rei hanc cauſſam adferunt, quod promptiores

ad

ad pugnam futuri videantur, si adsint carissima: ea enim promptissimo animo tuendi sibi necissitatem imponi. Fortè hoc ita sit, forte etiam voluptatis gratia faciant.

Mulieres secum ducere etsi videtur à vita militari, horrida videlicet & aspera, alienum, solebant Asiatici milites: non item Romanæ legiones, domitrices gentium: sed illi caussam huius rei reddebant, si non veram, honestam saltem: vtra fuerit, in medio ipse scriptor reliquit.

Cyrus autem cum videret, quantas res Medi & Hyrcanij gessissent; pœne sibi ipse suisq; succensebat: quod ceteri tum temporis magis vigere videbantur, & acquirere plus opum, ipsi vero eo loco manere, vbi nihil agerent. Qui enim spolia aduexissent; iis Cyro ostensis, denuo contendebant ad alios persequendos: quod sic à tribunis suis sibi imperatum esse dicerent.

In Cyaxare erat inuidia, de qua antè: in Cyro est æmulatio. Non est à studio virtutis alienum, alterius rectè factis ad rectè faciendum excitari, & tuam vicem dolere, si ab altero supereris, cui parem esse debere te intelligas. Illum vero etiam tamen non oderis, sed ames quoq;, si virtutem ames: nec odisse poteris, quem tibi imitandum proponas.

Id etsi mordebat Cyrum, tamen non obstabat, quo minus irent: sed iterum centurionibus

nibus conuocatis, censcenso loco editiore, ex quo exaudiri posset, sic locutus est.

Militibus suis ostendit Cyrus copias esse imperfectas, quoad equitatus desideretur: hortatur, vt equestre studium colant, vt equitum turmas instruendas censeant: docet, qua ratione id hoc tempore fieri possit.

Si, quæ modo apparent, obtineamus; hoc omnibus Persis magnæ felicitati fore, maximæ nobis, per quos hæ res administrantur, omnes, mea sententia, intelligimus. Quomodo autem ea in nostram potestatem transferamus, siquidem, nisi & nos equitatu instructi fuerimus, ne quidem possidere poterimus; id equidem iam iam video. Sumus enim, inquit, nos Persæ armis instructi, quibus hostes commissis signis in fugam vertere posse videamur. At deinceps ecquos vel equites, vel sagittarios, vel citratos, vel iaculatores, cum equis careamus, aut capere possimus, aut interficere fugientes? Ecqui vero, qui adoriantur nos, ad cladem nobis inferendam, vel sagittarij, vel iaculatores, vel equites, nos metuant, à quibus sibi non plus imminere nouerint periculi, quàm ab arbo-

arboribus terra enatis? Quæ cum ita sint, an non perspicuum est, inquit, hosce equites, qui nobis nunc præsto sunt, quæcunq; in nostram potestatem venerint, non sua minus esse putare, quàm nostra? quin per Iouem, forte etiam magis. Id equidem aliter fieri hoc tempore non potest: quod si nobis equitatum parauerimus, non ipsis inferiorem, an non omnes perspicimus, tum posse nos hostes sine his ita tractare, vt modò horum ope facimus, habituros q; istos ita multo nobis subiectiores? Vbi enim vel adesse vel abesse vellent, parui penderemus, si sola nostra ope niteremur. Hoc igitur in dubitationem nemini veniat, plurimum referre, Persicum equitatum proprium esse. Sed illud fortè cogitatis, quomodo id fiat. Considerabimus igitur, si de parando equitatu conuenit; quæ nobis res sint in promptu futuræ, quæ defuturæ. An non equi hi satis multi in castris sunt relicti? an non freni, quibus regantur? an non cetera, quibus opus est in re eqestri? Enimuero etiam, quibus equitem esse instru-

ctum oportet, habemus, thoraces, munimenta corporum, iacula, quibus vtamur, siue iaculandum, siue feriendum sit. Quid ergo præterea opus est? Viri desunt videlicet. Atqui hoc maximè in promptu est. Neq; enim quidquam æquè nostrum est, vt nosmet nostri simus. At dicet quis, nos equitandi imperitos esse. Neq; qui periti nunc sunt, erant antè, quàm discerent. Dicet quis iterum: illos didicisse à pueris. Vtrum pueris plus ingenij est, ad ea, quæ vel præcipiuntur, vel ostenduntur, discenda, quàm viris? Atq; etiam satis otij nobis est ad discendum, quantum vel pueris, vel aliis viris. Neq; enim nunc demum discendum nobis erit, vt pueris, arcubus vti: quando hanc artem iampridem perdidicimus: neq; iaculari, siquidem & hoc nouimus. Neq; vero, vt ceteri occupantur vel agricultura, vel artificiis, alij deniq; aliis: at nobis non solum est otium ad militandum, sed ipsa quoq; incumbit necessitas. Ceterum neq; hic ita est, vt in rebus bellicis, quæ vsui quidem sint, sed difficultatem

tem

tem magnam habeant. Equitandi autem ars, an non in via iucundior, quàm pedibus iter facere? in re graui, nónne voluptati sit, celeriter præsto esse amico, cum opus sit? siue hominum quispiam, siue fera insequenda sit. Nonne & hoc commodum, si ferenda sint arma, & hìc equum vsui esse? Idem autem est, rem habere, eamq; vsui esse. Quod autem quis maximè metuat, vt si in equis discrimen adire oporteat antè, quàm equitandi peritiam nobis parauerimus, neq; tum pedibus valeamus, neq; equis; hoc prorsus nihil obstat. Statim enim pedites pugnabimus, quando volemus. Nam percepta equestri arte, nihil omnium, quæ ad iter pedibus faciendum pertinent, dediscemus.

Hæc cum dixisset Cyrus, Chrysantas ei assensus est: atq;, Ego vero, inquit, gestio discere equitandi artem, existimans, si eques sim, me hominem volucrem esse. Nunc enim hoc contentus sim, si alterum in cursu modo capitis extensione antecurrere videar, siq; visam præteruolantem

feram intentis viribus anticipem, vt vel eam iaculo, vel sagitta petam prius, quàm elebatur longius. Quod si eques fiam, quem acie oculorum quàm longissimè assequar, deiecero, aut feras persequens, partim earum è manu feriens prehendero, partim iaculatus fuero, non minus ac si constitissent. Licet vtraq; tam fera, quàm equus, sint velocia, tamen non minus, quàm quæ consistunt, quæ est, ea manet simul currentium vicinitas. Hoc ergo nomine maximè omnium animantium admiror hippocentauros, si modò fuerunt: qui prudentia cauerent homini: manibus, quod opus esset, pugnarent: celeritate equi & viribus præditi, vt quod fugeret, caperent, quod maneret, euerterent. Hæc igitur omnia, ipse eques iam, ad me referam. Prospicere enim omnia potero humana mea intelligentia: manibus arma tractabo: persequar equo: qui obstet, hunc viribus equi subuertero: neq; tamen natura cohærebo vinctus, quemadmodum hippocentauri: quod ipsum quoq; satius est, quàm natura cohærere.

rere. Namq; ego hippocentauros arbitror multis in rebus ignorare, quo modo vtantur bonis inuentis ab hominibus, itemq; in multis, quæ iucunda equis natura sunt, ignorare, quomodo iis fruantur. Verum ego, vbi didicero equitare, equo ipse insidens faciam, quæ hippocentaurus faceret: de eodem descendens, cenabo, vestes induam, somnum capiam, vt ceteri homines. Quid igitur aliud ego, quàm distinctus quispiam hippocentaurus ero, atq; iterum connexus? Atq; insuper hoc potiore conditione ero, quàm hippocentaurus. Hic duobus oculis prospiciebat, & duabus audiebat auribus: ego quatuor oculis coniecturam de rebus visis faciam, & quatuor auribus præsentiam. Affirmant enim equum oculis prospicientem, multa hominibus indicare: multa item quasi priorem auribus audientem, significare. Quare refer me in eos, qui cupidi sunt artis equitandi. Per Iouem aiebant & ceteri, nos quoq;. Exinde igitur Cyrus, quid igitur, inquit, quando hoc vobis magnopere proba-

tur, numquid etiam legem feremus, qua turpe esse decernatur, quibus nostrum equos suppeditauero, eorum si qui conspiciantur, pedibus ingredi, siue breue iter, siue longum sit faciendum: vt homines omnino existiment, nos hippocentauros esse. Huic rogationi Cyri suffragabantur omnes: etiam ex eo tempore in hunc diem ita viuunt Persæ: neq; quisq; ex primariis conspiciatur sponte iter pedibus facere. De talibus inter se ipsi conferebant.

Tempore autem pomeridiano recipiebant se equites Medi & Hyrcanij, captiuos & equos adducentes & viros. Pepercerant enim iis, qui arma tradiderant. Cum autem iam se recepissent, sciscitabatur Cyrus, numquid ipsi omnes essent incolumes: quod cum affirmassent, deinceps quærebat, quæ gessissent: atq; hi tum res à se gestas narrabant, quamq; fortiter, singulatim magnificè exponebant. Ille vero libenter auscultabat, quæ dicerent: ac deinde eos sic quoq; collaudauit. Quam præclarè vos gesseritis, palam est. Etenim & maiores, & pulcrio-

res,

res, & grauiores apparetis, quàm antè. Deinde ex ijs sciscitabatur, quantum viæ confeciſſent, ac numquid incoleretur regio. Reſpondebant, ſe viam benè longam confeciſſe, omnemq; eam regionem incoli, abundareq; ouibus, capris, bobus, equis, frumento, omni genere bonorum. Duo nobis, inquit, curæ eſſe oportet: vnum, vt in poteſtate noſtra ſint, qui illa poßident: alterum, vt ipſi quoq; ibidem maneant. Nam regio, quæ incolitur, precioſa poſſeßio eſt: quæ ſi ſpolietur hominibus, bonis eandem quoq; ſpoliari neceſſe eſt. Non me quidem fugit, vos trucidaſſe, quotquot vobis reſtiterunt, qua in re rectè factum à vobis fuit: (Hoc enim eſt, quod victoriam conſeruat maximè) qui manus dederunt, hos accepiſtis in deditionem: quos ſi dimittamus, fecerimus, ſi quid ego video, quod maximè è re noſtra ſit. Primum enim neq; erit, quod ab ipſis nobis caueamus, neque erunt cuſtodiendi, neq; procurandus iis commeatus: (neque enim eos fame necare velimus) atque inſu-

insuper hos si dimiserimus, captiuos etiam habebimus plures. Si namq; nobis regionem subijciemus; vniuersæ eius incolæ captiui nostri erunt. Facilius autem, si hos viuere videbunt & liberè dimissos, etiam ceteri manebunt, & optione data, parêre, quam pugnare malent. Atq; ego quidem ita sentio: quod si quis rectius consilium habet, dicat. Cum, quæ Cyro visa fuerant, omnes probarent; ille conuocatis captiuis ita dixit:

Postquam paruistis, vitam conseruastis: quod si in posterum ita vos tractabitis, nihil erit mali, nisi quod vobis imperabit non is, qui imperabat antea: incoletis easdem domos, eandem regionem coletis, cum iisdem vxoribus viuetis, vestrisq; liberis imperabitis, vt etiam hodie. Tantùm neq; nobiscum bellum geretis, neq; cum quiquam alio. Quod si quis vobis iniuriam inferat; nos pro vestra salute arma capiemus. Ac ne quis vobis denunciare valeat, vt aduersus nos arma sumatis; arma deferte ad nos. Qui ea ferent, iis præstabimus pacem, &

quæ

& quæ pollicemur, sine dolo & fraude. Qui vero arma bellica deponere recusabunt; eos nos bello persequemur. Quod si quem vestrum intelligemus, se cum beneuolentia ad nos conuertere, & agere, & nos docere; hunc nos non serui loco habebimus, sed vt benemerentem & amicum amplectemur. Hæc igitur, inquit, & ipsimet iam cognoscite, & ceteris denunciate. Quod si (addebat) vobis ita volentibus, nonnulli dicto audientes minus erunt; aduersum eos nos ducite, vt vos illis imperetis, non illorum imperium feratis. Quæ cum dixisset Cyrus; captiui, adoratione facta, se ita facturos asseuerarunt. Qui postquam abierant; tum Cyrus: Tempus est, Medi & Armenij, vt cenetis omnes: cocti sunt vobis cibi, quàm optimè procurari à nobis potuit: sed ite, nobis alteram cocti cibi partem mittite. Coctum namq; est, quantum vtrisq; sufficit: obsonij nihil, potus item nihil miseritis. Horum enim, quod satis sit, in promptu apud nos habemus. At vos, Hyrcanij, deducite eos

eos ad tabernacula, tribunos ad ampliſſima, (noſtis enim) ceteros, quàm optimè poteritis: atq; ipſi cænate, vbi libentiſſimè voletis. Vobis enim tabernacula integra ſunt: in quibus parati ſunt vobis cibi non minus, quàm hiſce. Vtrisq; vero notum eſſe volumus, nos veſtro loco extra caſtra nocturnas excubias acturos: in tabernaculis videte ipſi, & in ea arma inferte. Nam qui in tabernaculis ſunt, nondum amici ſunt nobis. Medi igitur, quiq; cum Tigrane erant, lauabant, (erat enim ſic paratum) mutatisq; veſtibus cenabant: & equis erat, quo paſcerentur: atq; Perſarum ſingulis alteram panum partem mittebant: obſonij mittebant nihil, neq; vinum, arbitrati neutro egere: quod Cyrus, ea abundè eſſe, dixerat. Sed quod Cyrus dixerat, obſonium intelligebat famem, potum præterfluentem fluuium.

Laudabile ſtudium Laconicum: Lacedæmoniis familiare erat & dulce, ius illud atrum nobile: Perſis, panis & naſturtium: nec in militia ſolum, ſed etiam domi. Luxu perditi in bello victoriæ & vitæ iacturam facilè faciunt, cum ſomno dediti oſcitanter res ſuas agant, neque conſilia videant, neque oſtenſis vti vale-

valeant. Idem domi non minus pereunt. Asoti enim virtutem adipisci non possunt: contrarijs omnibus prorsus obnoxij. Paullo ante monuit Cyrus, eô cena tenui vtendum esse, ne somno obruantur, néue in stultitiam incidant: id est consilia in rebus præsentibus tam periculosis ne mala capiant, vel voluptatem quærant pro labore. Nam ἀνοίαν hanc quoq; Græci appellant, vt probare est ex Aristophane: ad quem modum etiam videtur loqui Demosthenes, assentiente scholiasta. Nec minus est in hac viuendi ratione voluptatis: imo magis: quando, quod dolor breui excipit, voluptatis non multum habere putandum est: quod nullus sequitur dolor, ciusdem plusculum. Itaque Xenophon initio horum librorum scripsit: Si quis, inquit, Persas cenare non libenter putat, quod vescantur nasturtio cum pane, nec libenter bibere, quod aquam bibant; cogitet, quantæ voluptati sit panis esurienti, sitienti aqua. Nec minus hæc sunt Socratica: Socrates enim aiebat: cibi condimentum esse famem, potionis sitim. Proinde & Lælius ille sapiens Gallonium deridebat, qui è vulgaribus cibis nihil voluptatis caperet, in quibus esset naturæ satis. Nota enim sunt illa apud Tullium ex vetere poëta.

O lapate, vt iactêre necesse est, cognitu' cui sis,
In quo Læliu' clamores sophos ille solebat
Edere, compellans gumias ex ordine nostros.
Læliu' præclarè, & rectè sophos, illéq; vere:
O Publi, ô gurges, Galloni: es homo miser, inquit:
Cenasti in vita numquam bene, cum omnia in ista
Consumis squilla, atq; acipenseresere cum decumano.

In eundem Gallonium inuehitur & Horatius, cuius multa quoque sunt in luxum & lautitias pro salubri & grata victus tenuitate. Inprimis in ore habere & sequi hæc præcepta operæ pretium est: tum vt valetudinem conseruemus, tum vt mentem integram.

Accipe nunc, victus tenuis quæ quantaq; secum
Afferat: in primis valeas bene: nam variæ res
Vt noceant homini, credas, memor illius escæ,
Quæ simplex olim tibi sederit, at simul assis
Miscueris elixa, simul conchylia turdis:
Dulcia se in bilem vertent, stomachoq; tumultum
Lenta feret pituita: vides, vt pallidus omnis
Cœna desurgat dubia? quin corpus onustum
Hesternis vitiis, animum quoq; prægrauat vnà,
Atq; affligit humo dëuinæ particulam auræ.

His hoc loco contenti fumus: neq; enim cumulare multa, quantumuis illustria, ex latinis & græcis scriptoribus, voluimus.

Cum hac cena Persas accepisset Cyrus, iamq; nox esset; quinos ex iis & denos, & quidem permultos misit, quos se iussit circum castra abscondere. Censebat enim hac ratione tum benè constitutas esse excubias, tum si quis è castris fugeret, pecuniam auehens, eum deprehensum iri. Atq; ita euenit. Multi enim moliebantur fugam: multi item è fuga retrahebantur. Iusserat autem Cyrus, vt casis hominibus pecunias sibi haberent, qui intercepissent. Ita euenit, vt postea non facilè inueneris quempiam, qui noctu iter faceret. Ita noctem Persæ transigebant: sed Medi bibebant, epulabantur,

tur, canebant tibiis, & omni hilaritate animum exſatiabant. Ita multa enim eius generis capta erant, vt cauſſæ ſatis eſſet, quamobrem pervigilarent.

Cyaxares autem, Medorum rex, qua nocte Cyrus abierat, ſe cum ſuis vino obruebat, vt in rebus ſecundis, alios Medos, præter paucos, ſecum eſſe in caſtris omnes ratus, tantum turbarum audiens. Medorum enim famuli, vt quorum abiiſſent heri, animo remiſſo & potabant & tumultuabantur, præſertim cum è caſtris Aſſyriorum & vinum accepiſſent & multa alia.

Luxus famulorum cum vtroq; conuenit. Primum cum eo, quod prouerbiis pluribus dicitur: vt principes ſint, tales eſſe populos: vt domini, tales ſeruos: vt heras, tales famulas. Cum altero etiam, quod eſt apud comicum: vti fit, dominæ vbi abſunt. Nullum enim mancipium probum: quidquid officij faciunt ſerui, mallent non facere. Nec minus verum: quotquot officium ſimulant, nec niſi coacti rectè faciunt, prorſus & ipſi ſunt in mancipiis.

Poſtquam autem illuxit, neq; quisquam apparuit ad regiam, præter eos, qui cum rege cenauerant, & audiit Medos in caſtris & equites nullos eſſe, & egreſſus etiam, rem ſic ſe habere ipſe vidit; tum igitur grauiter

indignabatur Cyro & Medis, qui, ipso sine præsidiis relicto, abiissent, nec mora (quemadmodum fuisse dicitur & crudelis & ingrati animi) iubet ex iis quendam, qui aderant, assumptis, quos rex habebat, equitibus, quàm velocissimè contendere ad Cyri copias, qui hæc diteret:

Rex & tyrannus differunt: immo regi contrarium maximè tyrannus. Regis est clementia & animus paternus: irasci rex potest, sontes punire potest, insontes lædere non potest, potest idem errantibus ignoscere: tyrannus idem est omnibus, cum libet: huius propria crudelitas: huic quæ rectissimè facias, non rectè facias: hic optimè meritis refert nihil gratiæ, vel potius malam gratiam. Pessimum tyrannus: pessimum in eo vitium: nihil eo ingratius. Est ὠμὸς καὶ ἀγνώμων. Hic quoq; est, qui sinistrè de rebus iudicat, expers boni consilij. Minimè vero etiam proprium tyranni prudentia. Prudens suis rebus consulit & aliorum: tyrannus omnium res euertit, suis consulit: quin suis quoq; malè consulit, qui neq; virtutem vllam sibi paret, & cetera bona siue commoda loco lubrico collocet. Itaq; terribilis quidem est, sed idem odio omnibus.

Equidem putabam, neq; te, Cyre, ita nullam mei rationem fuisse habiturum: sin ita tamen videtur Cyro; neq; vos, Medi, sic omni præsidio destitutum voluisse relinquere: atq; nunc, velit nolit Cyrus, adeste quàm celerrimè. Hæc mandabat: cui negotium mandatum erat, at quomodo, inquit, here, Cy-

Cyrum ego inueniam? Quomodo, inquit, Cyrus, & ceteri ad quos se conferebant? Per Iouem, inquit, Hyrcanios quosdam ab hostibus defeciſſe audio: qui huc venerint abductum illos, quorum se duces futuros pollicerentur. His auditis Cyaxares multo grauius irascebatur Cyro, quod sibi id non dixisset: & multo maiore cura ad Medos mittebat, vt illum prorsus nudarent auxiliis, & iubebat redire, minis additis multo grauioribus: interminatus item fuit nuncio, nisi acriter mandata denunciaret. Hic ibat ducens ad centum equites, grauiter animo dolens, quod ipse vna Cyrum non fuisset comitatus. Inter eundum autem, cum dirimerentur viæ, quadam semita aberrarunt: neq; prius ad Cyri copias peruenerunt, quàm incidissent in quosdam Assyrios, recedentes iam, quos viam monstrare coëgerunt. Igitur sub mediam noctem conspectis ignibus aduenerunt. Cum autem ad castra essent excubiæ, vt à Cyro fuerat constitutum; ante diem intromissi non fuêre. Prima autem luce,

luce, primum accitis magis, pro tanta felicitate deligi iussit victimas: quare cum magi occuparentur, Cyrus conuocata homotimorum concione, hæc dicebat. Multa ostendit bona Deus: at nos, Persæ, parua manus sumus in præsentia, vt ea obtinere valeamus. Siue enim, quæ paremus, non custodiamus; iterum aliena erunt: siue relinquamus ex nostris, qui custodiant, quæ in potestate nostra sunt; statim palam fiet, nullas esse vires nostras. Placet igitur mihi, vt quis vestrum quàm celerrimè ad Persas profectus, doceat, quæ dico, iubeatq;, vt sine mora copias mittant, siquidem Persæ & imperium & fructus Asiæ ambiant. Quare tu, inquit, cum natu maximus sis, ito, & nuncia: quos item milites miserint, vt primum aduenerint, mihi curæ futurum, ne commeatum desiderent. Nos autem, quibus potiti sumus bonis, vides: horum illos nihil cæla. Num vero de his, quæ ad Deos pertinent, rectè faciam & legitimè, ex patre quære: num quæ ad commune, ex magistratibus.

tibus. Mittant vero, qui & videant, quæ geramus, & de quibus quærimus, respondeant. Tu vero, inquit, para te quoq;, vt ducas milites, qui hunc deducant. Deinceps arcessebat Medos, quibuscum Cyaxaris nuncius præsto est, qui coram omnibus & regis iram in Cyrum & minas aduersus Medos exponebat: ac dixit deniq;, iubere illum, Medos reuerti, etiamsi Cyrus manere constituerit. Audito nuncio silentium erat inter Medos. Namq; & dubitabant, quomodo vocati non parerent, & metuebant, quomodo minanti parerent, præsertim cum nossent, quàm ille crudeli animo esset. Ego vero, ad nuncium & Medos, inquit Cyrus: Non miror, Cyaxarem, cum viderit tantas copias hostium, nec cognouerit, quæ nos geramus; de nobis & de se ipso sinistrè statuere. Verum, vbi intellexerit, hostium multos periisse, reliquos omnes in fugam versos; primum omni ipse metu liberabitur: deinde intelliget, se non carere præsidiis, quando amici ipsius hostes interficiunt. Sed quid

est quæso, quod ille nobis succenseat, de quo bene mereamur, idq; non priuato consilio, sed illo quoq; assentiente? Ego enim ei persuasi, vt me vobis adiunctis pateretur progredi: vos etiam, non vt cupidi viæ, quæsiuistis, cum vobis liceret; sed iussi ab ipso, si cui id vestrum minus graue esset. Prorsus igitur non dubito, iram hanc à bonis per nos partis, coctum, & terminato metu fugatum iri. Nunc igitur, inquit ad nuncium, quiesce, quando defatigatus es: at nos, Persæ, siquidem exspectamus iam hostes, aut prælliaturos, aut dicto audientes futuros, aciem pulcherrimam instruamus. Si enim ad hunc modum appareamus, credibile est, nos plus in tempore profecturos, in quibus opus est. Tu autem princeps Hyrcaniorum, mane, impera tuorum militum ducibus, vt eos iubeant arma capere. Vbi mandatum exsecutus, Hyrcanius accessit ad Cyrum: Gaudeo, inquit, Hyrcanie, cum intelligam, te non solum nobis amicitiam, sed prudentiam quoq; mihi probare. Nec dubium vero vl-

lum

lum est, quin eadem ex vsu communi sint. Namq; & mei hostes sunt Assyrij, & tibi inimiciores multò, quàm mihi. Sic igitur nobis vtrisq; consilium capiendum est, ne quis præsentium sociorum à nobis deficiat, sed potius insuper, si possimus, adsciscamus alios. Audisti, quemadmodum Medos equites reuocet: qui si discedunt; quomodo nos pedites soli manebimus? Quare ita & te & me facere oportet, vt ille quoq;, qui hos auocat, manere nobiscum velit. Tu igitur tabernaculum inueni, & huic da, vbi sit commodissimè, nec vlla re egeat. Ego conabor, vt ipsi aliquid mandem, quod libentius faciat, quàm abeat. Atq; ipsi refer, quanta spes sit potiundorum bonorum, si fiant, quæ opus sunt: idq; vbi feceris, redi ad me denuo. Quapropter Hyrcanius Medum ducebat in tabernaculum: alter vero, qui ad Persas iret, accinctus præsto erat: cui Cyrus mandauit, vt Persis referret, quæ antè quoq; in sermone exposita sunt, Cyaxari autem redderet litteras: legam vero etiam tibi, inquit,

quæ scribo, vt hæc nota verbis tuis confirmes, si quis de iis ex te quærat. Erant autem hæc contenta litteris.

Cyrus Cyaxari salutem. Nos neq; te præsidiis nudamus (neq; enim victor hostium in solitudine est) neq; per absentiam nostram te in periculum esse coniectum arbitramur: sed quò longius abs te absumus, hoc nos te tutiore loco constituere, nobis persuademus. Neq; enim amicorum, qui vicini sunt maximè, potissimum amicorum res in tuto collocant, sed qui hostes depellunt longissimè, magis amicos omni periculo liberant. Considera vero, quomodo de te merẽti quàm ingratè mihi succenseas. Adduxi enim tibi præsidij, non quantum voluisti, sed quantum omnino valui. Tu vero, cum in amicorum agro essem, mihi concessisti, quamplurimis hoc ipse persuadere possem: nunc autem, quando in hostium agro sum; non qui cupiant regredi, sed vniuersos reuocas. Itaq; tum putabam, me & tibi & illis plurimum debere: at nunc cogis me tui obliuisci, & operam

ram dare, vt me secutis omnem referam gratiam. Neq; tamen ego te imitari possim: sed etiam nunc misso ad Persas legato, alias copias accersens domo, mando, vt quantæ ad me se conferent, si iis tibi ante reditum nostrum opus erit, tibi præsto sint, non vt ipsis videatur, sed vt tu iubeas. Consulo autem tibi, etsi ætate minor, ne, quæ dederis, auferas, ne inimicitiæ tibi, loco gratiæ debeantur: neq; si, quem velis ad te eucstigio venire, eum minitabundus arcessas: neq; de solitudine questus simul multis minteris, vt ne eos parui te facere doceas. Vale. Nos autem in hoc incumbemus, vt, quamprimum, quæ & tibi & nobis confecta, communia bona futura putemus, confecerimus, tibi præsto simus.

Hanc tu Cyaxari epistolam redde, & quodcunq; horum ex te quæsierit, singula ita refer, quemadmodum scripta sunt. His mandatis expositis & data epistola, hominem ablegabat, iubebatq; ita properare, vt intelligeret rem postulare, ipsum quampri-

mum illic esse. Porro vero omnes iam in armis esse, & Hyrcanios & Tigranis copias videbat: erant itidem in armis Persæ. Iam vero etiam ex vicinia alij adducebant equos, alij arma adferebant. Ille iacula, quibus hoc negotij datum fuerat, quem in locum & antè comportata iussit concremare, quibus ipsi non egerent: equos custodire iussit, nec qui adduxissent, abire prius, quàm ipsis indicatum esset. Conuocatis deinde tribunis militum & Hyrcanorum dixit in hanc sententiam:

Ne vobis mirum sit, inquit, commilitones & socij, vos à me sæpius conuocari. In præsentibus enim rebus nouis perturbata multa sunt: quæq; perturbata sunt, ea necesse est multum facessere negotij, donec constituantur. Sunt nobis iam multæ captiuorum pecuniæ, & præter has viri: cum vero neq; nos nouerimus, quæ cuiusq; nostrum sint, neque illi norint, quis cuiusq; nostrum sint, neq; illi norint, quis cuiusq; dominus, cumq; non multos videamus, qui exsequantur, quod debe-

debeant, sed contrà pænè omnes dubitent, quid faciant; ne igitur hæc incertitudo rerum manent, partimini omnia. Ac cui cesserit tabernaculum, in quo sit esculentorum, & poculentorum satis, & famuli & stragula, & vestis, & alia, quæ in egregio militari tabernaculo desiderantur; ibi nihil aliud accedere oportet, quàm, vt, cui illud cesserit, sciat, sibi has res, vti proprias, curæ esse oportere: Sin quis eo loci venerit, vbi quid rerum necessariarum desideretur, vos videritis, vt, quod desit, expleatur. Superfutura enim multa scio. Habuerunt enim hostes multo plura, quàm nostris copiis opus esse videatur. Accesserunt vero etiam ad me quæstores & regis Assyriorum, & aliorum dynastarum, qui dixerunt, apud se esse aurum etiam signatum, cum nescio quibus de vectigalibus dicerent. Edicite per præconem, vt hæc, quo loco consederitis, ad vos omnia perferantur: & qui minus dicto audiens fuerit, ei metum incutite: vosq; ea accepta distribuite, duplum equiti, simplum peditì,

diti, vt sit etiam, si quibus indigeatis, quo quid coëmatis. Præco item sic iam de foro denunciet in castris, inquit: ne quis alterum iniuria afficiat: vt tabernarij & mercatores vendant, quod quisq; habeat venale: numis paratis alia aduehant, vbi castra erunt: atq; hæc præcones denunciabant.

Tum Medi & Hyrcanij sic aiebant: Quonam modo, inquiunt, nos absq; te & tuis hæc partiemur? Cyrus igitur ad hanc interrogationem sic intulit: Quod si ita sentitis, vbi quid faciendum sit, nos omnes in omnibus adesse oportere; neq; ipse sufficiam pro vobis, neq; vos pro nobis. Qua vero alia ratione efficiamus, atq; hac ipsa? Verum videte, inquit: nos enim hæc vobis custodiuimus, quæ vos à nobis bene custodita credidistis: iam vos ea partiemini: nos bene à vobis partita nobis credemus. In aliis vero etiam laborabimus, vt commune bonum comparemus. Videte enim primum omnium, inquit, equos, quorum partim præsto sunt, partim adducuntur. Quos si absq; sessoribus relin-

relinquemus; non solum nulli vsui nobis erunt, sed etiam curandi dabunt molestiam: sin iis imponemus equites; tum nihil erit negotij, tum nostras res faciemus firmiores. Si igitur vobis sunt alij, quibus eos concedatis, & quibuscum pericula subeatis libentius, (si necesse sit) quàm nobiscum; iis concedite: sin mauultis nos socios in acie; nobis eos concedite. Namq; etiam nunc, quando sine nobis profecti periculum adiistis, & magnum nobis metum peperistis, ne quid vobis aduersi accideret, magnum simul iniecistis pudorem, qui à vobis abfuerimus: equos autem nacti, sequemur vos: ac si tum videbimur maiori vsui esse, si equites vobiscum pugnabimus; equidem nihil patiemur in nobis desiderari: sin pedites videbimur vobis commodius præsto esse; nihil facilius est, quàm descendere de equis, erimusq; vobis præsto pedites, ac tum inueniemus, quibus equos tradamus. Ita Cyrus: illi respondebant: Atqui nobis, Cyre, neq; sunt, quos hisce equis imponamus, neq; si sint, nos aliud probemus,

quàm quod tibi videatur: atq; nunc, aiebant, cape equos, & quod tibi videatur optimum, statue. Accepto, inquit: nos quod felix faustumq; sit, equites fiamus: & vos communem prædam partimini. Principio igitur, inquit, diis eximite, quas edocebunt magi, victimas: eximite deinde & Cyaxari, quo vos ipsi putabitis gratificaturos maximè. Ibi sublato risu aiebant, esse ei eximendas formosas mulieres. Eximite igitur, inquit, mulieres, quodq; præterea vobis videbitur. Ubi Cyaxari exemeritis Hyrcanij, hosce, qui sua sponte, me secuti sunt, ita donate, quantum potestis, ne quid habeant, quod queri possint. At vos Medi, Hyrcanios hosce, qui primùm in societatem nostram venerunt, observate, vt eos consilij non pœniteat, quod se ad amicitiam nostram applicuerunt. Partem etiam de omnibus huic date, qui adest à Cyaxare, eiusq; comitibus: etiam eum cohortamini, vt vna nobiscum maneat: sic & mihi videri: vt singulis exquisitius exploratis vera Cyaxari

xari renunciet. Persis autem, inquit, quos mecum habeo, quæ superfuerint, vbi & vobis satis superq; paraueritis, ea sufficient. Etenim, inquit, nos non admodum in splendore educati sumus, sed rustico more. Itaq; fortasse nos derideatis, si magnificè amictos videatis: quemadmodum, ait, scio, nos, vbi equis insederimus, multum vobis risum mouebimus, &, nisi fallor, etiam ex iis in terram deciderimus. Illi igitur se ad partiendam prædam referentes, effusè hosce nouos equites rident. Cyrus conuocatis centurionibus mandauit, vt acciperent equos, & equestria ornamenta, & equorum curatores: eaq; centuriatim in centurias sortirentur. Ipse autem etiam edixit, si quis seruus esset in Assyriorum, aut Syrorum, aut Arabum castris, seu Medus, seu Persa, seu Bactrianus, seu Car, seu Cilix, seu Græcus, siue ex quacunq; regione vi abductus; omnes adessent: quo edicto cognito pleriq; libentissimè aduolarunt. Ex his eximia specie delectos donare se aiebat libertate, hac conditione, vt

ne, vt arma ipsi ferrent, quæ ipsis daret: sibi curæ fore, ne commeatu egerent: adductosq; ad centuriones in classes retulit, tributiq; iis hastas & leues gladios, quibus instructi sequerentur equos: acciperent ipsi cibos, vt, quos ipse secum habebat, Persæ: ipsi autem Persæ, thoracibus induti & hastas habentes, semper equitarent: idq; capit ipse princeps: præficerent vero peditibus homotimorum quisq; suo loco tribunum ex homotimis alium. Ita hi erant hisce in rebus occupati.

Interea aduenit Gobryas Assyrius, senex, equo, cum satellitio equestri: ferebantq; omnes in equis arma: quibusq; mandatum erat, vt arma ad se reciperent, poscebant & ab his arma, quæ, vti reliqua, cremarent: Verum Gobryas dixit, se prius cupere Cyrum videre: famuli, relictis ceteris equitibus, ad Cyrum deducunt Gobryam: qui vt vidit Cyrum, inquit:

Ego genere sum Assyrius, domine: castellum habeo munitum, regioni satis amplæ impero, equites mille alebam regi Assyriorum,

rum, & ex primis eius amicis eram. Posteaq̃ vero hic à vobis sublatus fuit, vir equidem bonus, iamq́ filius eius mihi inimicissimus regnum tenet; ad te confugio, & ad tua genua supplex accido: meq́ tibi in seruitutem & societatem dedo, teq́ obtestor, vt vindex mihi sis: ego te mihi filium adopto. Filium enim heredem habeo neminem. Qui enim, domine, vnicus mihi filius erat, virtute præstans, qui me & amabat et obseruabat, vt filius fortunatum patrem obseruaret: eum hic rex: Sed ipsum prior rex, huius pater arcessierat, vt daret meo filio filiam suam vxorem: egoq́ tum concedebam, vt iret, qui gauderem, me propediem visurum filium sponsum regis filiæ. Verum hic rex eum inuitauit ad venationem, atq́ potestatem fecit venandi, quod posset: cum ille se hoc equitem præstantiorem esse crederet. Filius vt cum amico venabatur, cumq́ conspecta vrsa, eam insequerentur ambo; hic rex iaculo emisso ab vrsa aberrauit, (quod vtinam non aberrasset) at filius meus iaculans, quod mi-

nimè opus erat, prosternit vrsam. At ille animo cruciatus ita tum texit inuidiam. Vt autem iterum, occurrente leone ille aberrauit, (quod meo iudicio mirum non erat) at filius meus iterum secundo ictu leonem deiecit, & inquit: bis feriens, vtramq; feram prostraui. Ibi tum clare nefarius ille inuidiam non valens, hasta, quam alicui comitum eriperet, impulsa in pectus vnicum mihi & carissimum filium luce priuauit: egoq; ipse ætate iam grandi optimum filium, quo nihil mihi erat carius, cui iam tum lanugo efflorescebat, sepeliui. Ille autem parricidia, quasi hostem sustulisset, numq̃ eo nomine dolere visus fuit, neq; pro hoc nefario scelere conditum iam terræ aliquo honore dignandum putauit. Atqui patrem eius mei misertum fuit, qui neq; dissimulabat, quantopere doleret hanc meam calamitatem. Quare etiam ipse, si ille superstes esset, ad te nequaq̃ me contulissem, quod ipsi fraudi esset. Nam & ille omnia amici studia mihi probauit, & ipse ei seruiui. Postquam vero regnum

perue-

peruenit ad filij mei parricidam; neq; ego ipsi vmq̃ possim bene velle, neq; ille, quod sat scio, me sibi vmq̃ amicum esse existimet. Nonit enim & quomodo erga se affectus sim, & quàm antè hilariter vixerim, vtq; nunc viuam in hac solitudine, & in luctu senectutem transigam. Quod si igitur tu me in fidem tuam recipias, & ego aliquam spem animo concipiam, fore, vt te socio vlciscar filium mihi carissimum; tum videar mihi denuo adolescere, neq; cum turpitudine vitam degam, neq; cruciatus animo mortem obeam.

Hæc ille, cui Cyrus respondit: verum, si res ostendet, Gobrya, id te sentire, quod ad nos refers; ego & te supplicem accipio, & deûm auxilio parricidam illum vlturum tibi recipio. Sed dic mihi, inquit, si hoc in tuam gratiam faciamus, tibi castellum relinquamus, & ditionem, & arma, & potentiam, quàm habebas prius; qua in re nobis contrà seruies? Tum ille: castello meo, quando voles, pro domo veteris: vectigalia,

quæ

quæ illi pendebam, ad te deferam, quo item militandum fuerit, vna tecum expeditionem suscipiam, cum meæ ditionis manu. Est autem etiam, inquit, mihi filia, virgo itidem vnica & carissima, nubilis iam, quam ego olim existimabam, me huic regi vxorem educare: sed nunc ipsa me filia maximo cum ploratu obtestatur, ne se parricidæ fratris elocem: neq; ipse aliter faciendum sentio. Iam vero facio tibi potestatem ita ei consulendi, quemadmodum & ipse tibi consulere videar. Sic igitur Cyrus: His igitur conditionibus, inquit, dextras iungimus: dij nobis huius fœderis testes sunto. His peractis, abire Gobryam cum armis iussit: quæsiuitq;, quàm longè ad ipsum esset, tamquam venturus: respondit ille: si cras diluculo ires, futurum, vt à nobis perendie excipiaris. Atq; sic abiit Gobryas, monstratore viæ relicto. Iam autem aderant Medi: aiebantq;, diis quæ secreuissent, se tradidisse iam magis: exemisse Cyro pulcherrimum tentorium, & mulierem Susida, quæ dicatur omnium in

Asia

Asia fuisse pulcherrima: duas musicas præstantissimas: secunda his ab Cyaxari: eiusmodi autem, quorum indigerent, sibi sumebant, ne in militia vllius rei indigerent. Erat enim omnium copia. Etiam Hyrcanij accipiebant, quorum indigebant: etiam Cyaxaris nuncio tantundem tribuerunt, quantum vnicuiq; quæ supercrant tabernacula, tradebant Cyro, quæ scilicet Persis cederent: quidquid erat pecuniæ facta, vbi comportata esset, se distributuros: atq; distribuerunt. Hæc illi & fecerunt & dixerunt: Cyrus iussit, quæ Cyaxari essent destinata, ad se recipere & custodire, quos ei nosset intimos: ac, quæ mihi datis, libenter, inquit, accipio: neq; tamen non iis vtetur, qui eorum maximè indigeat. Medorum autem quispiam, musicæ perquam amans: sanè, inquit, musicas mulieres, quas tu modo habes cum audirem vesperi, & audiui libenter, & si mihi dones alterutram, libentius militabo, quàm domi vi-

tam agam. Tum Cyrus: equidem ego alteram do, & puto, me tibi, qui rogaueris, plus debere, quàm te mihi, qui acceperis. Vsq; adeo ego vobis gratificari studio. Quare eam ille acceptam abduxit.

FINIS.

EPISTOLARVM CHIONIS PLATONICI

INTERPRETATIO.

EPistolam mihi à te Lysis reddidit, cum tertium iam diem Byzantij commorarer, qua significabas, quantopere te totamq; domum commouisset abitus meus. Alius igitur, quæ ad te consolandum facerent, commemoraret, & quid boni ex hac peregrinatione sperandum esset, referret, atq; ita vos in lætitiam adduceret, quæ deleret quidquid istius est molestiæ: ego autem hoc ipsum à vobis fieri contendo, vt speratæ virtutis præmium mihi constituatis, vt vos parentes beatos faciam, non vt aut ex meis studiis consolationem accipiatis, aut nulla re aduersa affecti, feliciores tantummodo fiatis. Satis autem est, vt tamquam de præmiis contendenti, maiora mihi apponatis

natis præmia, vt eorum gratia de iis acrius ipse decertem. Hoc igitur animo es, mi pater, & matrem consolare: siquidem sanè illam ex iis esse, qui consolationis indigent, te ex ordine consolantium esse, par est.

EIDEM.

THraso in Ponto negotiatur: hic vir mihi multo videtur esse melior, quam sit ex instituto illius vitæ generis: Ac iam cum Byzantij essem, est quamobrem ei gratiam habeam. Quæ enim spectatu digna essent, in hac regione, cum spectare cuperem; ducem mihi se viæ præbuit: aliorum item curam in se suscepit, ne in aliquam malam viam incurreremus, aut qua venatum iretur, sed propter vehicula & reliqui apparatus gratia, commodiore proficisceremur. Eum istuc nauigantem, cum hoc testimonio deducendum putaui. Spectare igitur ista, quantum coniicio, ipsi opus non est, qui iampridem in Ponto stipendia fecerit: domo autem quemadmodum consueuisti, quin hominem accepturus sis vltro, dubium nullum est. Ceterum ipse nihil malo, quàm hinc soluere: verum ventus secundus hactenus non est.

EIDEM.

MAgnam gratiam ventis habeo, qui nos detinuerint, & Byzantij commorari coegerint: etsi illis initio supra modum succensebam, cum nauigationem maximè vrgerem. Etenim is mihi visus fuit Xenophon, Socratis familiaris, cuius caussa etiam diutius hærendum hic mihi esse existimarem. Hic enim Xenophon, vnus ex iis Græcis est, qui Cyro militarunt aduersus Artaxerxem: & principio quidem cum vno ex ducibus viuebat, nec occupabatur alia re, quàm quæ deceret militem, vt quem Cyrus quoq; in honore haberet. Postquam autem Cyrus in prima pugna periit, & Græcorum duces contra

datam fidem, capitis supplicio affecti fuerunt; dux creatus fuit, propter fortitudinem & reliquam sapientiam: qui videretur salutis certus auctor Græcis futurus: neq; eos spes frustrata est. Nam per medias hostium regiones, exiguas copias duxit & seruauit, cum tamen quotidie regij duces ad latus sua castra ponerent. Illud igitur etiam admiratione dignum: sed hoc multo magis. & maius est, cuius ego ipsemet spectator fui. Cum enim Græci diuturna & difficili expeditione confecti essent, nec præter salutem aliud periculorum præmium reperissent; constituebant vrbem Byzantiorum diripere, à quibus metu intromissi fuerant, iamq; repentinus tumultus occupauerat Byzantios. Interea vero dum hospites arma sumebant, & tubicen classicum canebat; ego correpto clypeo & hasta accurri ad mœnia, vbi ephebos aliquos confertos videbam. Etsi autem inutilis erat mœnium custodia, quando oppidum tenebatur ab hostibus: tamen loci commoditate facilius propulsaturos hostes, aut mortem oppetituros tardius, arbitrabamur. Atque interea tumultuantibus Græcis, conspeximus cæsarie & forma egregium virum, cuius etiam è vultu eluceret humanitas, qui per illos medios hac illac iret, & cuiusq; impetum retardaret. Hic erat ille Xenophon. Cum autem ex aduersantibus quidam militum eum monerent, vt ipse multis vnus obediret, finemq; sibi faceret calamitosæ & difficilis tempestatis: Referte igitur pedem, inquit, & consilium capite, Non enim metuendum est, ne dum deliberamus, è manibus elabatur nobis negotium, quod in potestate nostra est. Vbi vero ei, hac in re aduersari ipsos puduit, progressus in medium Xenophon, habuit ad eos orationem admirabilem, vt exitus declarauit. Neq; enim nos ipsam liquido exaudire poteramus. Quare eosdem qui paulò

antè vrbem diripere constituerant, vidimus modestè in foro commeatum mercantes, vt quisq; Byzantiorum: neq; quidquam amplius impij illius & raptoris Marts spirantes. Erat autem hoc spectaculum indicium animi Xenophontis, quantum videlicet præstaret sapientia & eloquentia. Hunc equidem hominem insalutatum mihi prætereundum minimè putaui: præsertim cum non minus beneficium ab eo accepissem, quàm Byzantij siquidem per ventos mea quoq; diripi oportuisset. Itaq; aperui me ei, quis essem: atq; ille memoria repetebat amicitiam, quæ sibi cum Socrate intercesserat, meq; ad colendam philosophiam cohortabatur, & reliquos etiam sermones non equidem militarem in modum, sed prorsus humaniter persequebatur. Nunc autem copias ducit in Thraciam. Seuthes enim, Thracum rex, qui cum quibusdam finitimis bellum gerit, eum arcessiuit, pleno eis stipendio promisso. Quare & hunc secuti sunt. Non visum enim ipsis fuit omnium egentibus domum reuerti, sed potius aliquid parare laboribus, dum adhuc in exercitu sint. Ne igitur dubites me multum esse cupidiorem nauigandi Athenas, philosophiæ colendæ gratia. Memineris enim fortasse, me, quem quotidie ad philosophiam cohortarere, singularia de iis commemorans, qui illius aliquam partem sedulo coluissent, tibi in ceteris facile dicto audientem fuisse: sed hoc tamen vnum prorsus metuisse. Videbatur enim mihi in ceteris reuera præstantiores efficere, in quibus quem erudiret. Temperantiam namq; & iustitiam homines non aliunde haurire, quàm ex philosophia arbitrabar: sed eandem tamen rerum gerendarum studium & animi intentionem dissoluere & ad otium emollire. Nam mirificæ illæ, vt tu mihi narrabas, philosophorum laudes, erant vacatio à rebus

gerendis & quies. Quare id mihi graue videbatur, si cultu philosophiæ in ceteris præstantior essem futurus: fortis autem & miles esse non possem, neq; quid præclarum gerere, si opus sit: sed oportere me hæc omnia missa facere, delinitum philosophia, tamquam aliquo carmine, egregiorum factorum obliuionem inducente. Hoc igitur me fugiebat, philosophiæ cultores etiam fortitudine præstare: atq; hoc ipsum vix è Xenophonte didici: non postq̃; mecum sermones instituit, sed postq̃; tantum virum esse intellexi, quantus equidem est. Etenim hic, qui è disciplina Socratis plurimum acceperat, tantum valet, vt & exercitus & vrbes conseruet: nec fecit philosophia, vt & sibi & amicis nulli vsui esset. Quare quies ad comparandam vitam beatam fortasse plus valet: quin & is, qui otio rectè frui possit, rectè etiam rebus gerendis præsit: quando & hoste erit superior, qui auaritiam & libidinem, & alios animi motus premat: à quibus superantur etiam, qui in bello victores extiterint. Quapropter & ipse in bona spe sum, me & in ceteris futurum aliquando præstantiorem: nec minus fortem, sed minus audacem. Sed de his non solum quantum satis est, sed plus etiam quam satis est. Scire etiam te volo, nos iam in nauigationem intentos. Sunt enim etiam venti magis secundi.

EIDEM.

CVm in Simum eusq̃; socios incidissemus, qui negotiandi gratia ad nos nauigarent; visum nobis fuit, vos certiores facere de iis, quæ in Perintho acciderunt. Erat enim vespertinus hœdorum occasus, egoq̃; prædicebam nautis, qui nobiscum erant, ne tum nauigarent, præsertim cum possent manere Byzantij: sed illi nequaq̃; mihi auscultabant: quin admodum deridebant meam prædictionem: asseuerantes, mihi ab astronomo Archidemo astronomiæ morbum esse obiectum. Atq; ego aliquandiu

illis aduersatus, tandem quasi nauali pugna superatus, cessi: idq; cum neq; ipse scirem, numquid veri p̄dicerem: prę-terea etiam ventus secundus & nauigandi commoditas, quæ sese ostendebat, multo adhuc magis fidem derogabat meis prædictionibus. Postquam in altum venimus, quousq; Syllebriam præternauigauimus, deridebar ob p̄dictionem: quum & ipse optarem derideri me, quoad de naui descendissemus. Verum, vt stadia triginta processeramus à Syllebria, vehemens nos tempestas oppressit: cumq; nimis diu nullo loco appellere possemus; supra modum male affecti fuimus. Vix autem tandem visa Perintho, vi ad eam contendimus, boni facti remiges: (vela enim ventum sustinere non poterant) & grauissima perpessi, ne cetera commemorem, intempesta nocte Perinthum appulimus, atq; tum profundum somnum cœpimus. Ceterum reliqua nobis erat tempestas alia, maritima nihilo inferior. Cum Perinthiis enim bellum gerebant Thraces, id quod nos, quibus nulla de re quidquam constaret, non audieramus, etsi dies ipsos duodecim fueramus commorati Byzantij. Sed credibile est, repentinam fuisse illam barbarorum incursionem. Mane igitur de naui egrediebamur, videndæ vrbis gratia, vt putabamus, & ego, & Heraclides, & bonus Agatho: nosq; comitabantur è seruulis Bætylus, & Podarces, & audax ille Philo: ac nos quidem inermes, sed seruorum vnusquisq; accinctus erat ense, Philo etiam ferebat hastam. Vt autem paullum à portu progressi fuimus; conspicimus castra non procul ab oppido, & quod erat grauius, prope nos tres equites. Ibi Philo data mihi hasta, vt ipse expeditior ad nauem curreret, coniecit se in pedes: verum ego, qui non confiderem, me cursu equum posse anteuertere, inuoluens brachium pallio, & hastam contorquens, consistebam. Idem & famuli faciebant. Heraclides autem & Agatho,

qui nihil præter lapides manu tenerent, à tergo se occultabant. Verum Thraces cum propius nos accessissent, tamen, vt nos nondum possent petere; ternas in nos hastas coniecerūnt, quæ ante pedes nostros decciderent. Itaq; illi, qui iam, quod in ipsis erat, fecerant, referebant se in castra. Nos igitur etiam sublatis hastis ad nauem regressi, soluimus & nauigauimus. Nunc in Chio sumus, in toto hoc cursu ventis vsi satis propitiis. Quare narrabis Archidemo, vespertino hœdorum occasu non solum graues tempestates mari significari, sed multo grauiores terra. Poteris enim ex hoc nostro casu apud ipsum iocari.

EIDEM.

ATheuas venimus, & de studiis sapientiæ cum Platone, familiari Socratis, conferimus. Nihil est eo sapientius: idemq; philosophiam, ciuili societati accommodatam, re ipsa probat familiaribus: quin prorsus ancipitem, & ad vitam occupatam negotiis, & ad quietem otiosam. Cum autem etiam ad me scripseris de amicitia, quæ tibi cum eo fuerit: nec parum mihi apud eum profuturam consuetudinem, quæ tibi cum Socrate fuerit: idcirco scire te velim, ipsum omnes magni facere, qui vel vnum diem consuetudine Socratis vsi fuerint: neque tamen cuiquam ita sese dat, vt ei, qui ex ipso fructum capere nouerit. Ad hoc igitur quod attinet, damus operam, vt ne vltimum locum teneamus in amicis Platonis: Sed in iis numeremur, à quibus se affirmat beneficium accipere, quando facultatem ipsos beneficio ornandi adeptus est. Ait enim non minorem beatitudinem esse, bonos facere, quàm ipsum virum bonum esse. Quapropter hoc præstat, vt ex ipso quicunque amicorum possint, commodum accipiant: nec minus accipit commodi ab iis, qui commodum accipere possunt.

EI-

EIDEM.

ATtulit mihi Phædimus tarichum delicatum, & amphoras mellis quinq;, & Merſitæ vini vaſa viginti, & præter hæc argenti talenta tria. Proinde non poſſum non illius fidem prædicare: & tuam agnoſco ſolicitudinem. Velim autem te porro fructus noſtri ſoli, veluti primitias mittere, ſi per tempus liceat. His enim à nobis amici frui poterunt, atq; ipſe etiam Plato, qui ad docendum largitione non corrumpitur. Meautem non tenet deſiderium pecuniæ: maximè cum & Athenis viuam, & Platoni dem operam in ſtudiis ſapientiæ. Etenim forſan abſurdum fuerit, nos in Græciam nauigare, vt exueremus diuitiarum cupiditatem, & ex Ponto nos quidquam ſequi, quo à litteris auocemur. Quapropter elegantius feceris, ſi ea miſeris, quæ nobis patriæ, non opulentiæ memoriam renouent.

EIDEM.

ARchepolis Lemnius eſt patria, vt prædicat: improbi & obſcuri ingenij homo: aduerſus omnibus, ſed maximè omnium ſibi ipſi: atq; inſuper neruorum ſolutione ex apoplexia laborat: quodcunque opinetur, id non veretur proloqui: nec tamen ei aliud, quàm ineptiſſimum quodque in mentem venit. Hic initio, vt audio, cum quæſtor fuiſſet in Lemno, & eius generis alia munera obijſſet, nullo cum honore ſuo reiectus fuit. Poſtquam autem ei philoſophiam habere contemptui viſum fuit: Athenas ſe contulit. Atq; hic tum Platonem multis rebus offendit, tum nos magna contumelia affecit. Namque nulli nos ei vſui viſi fuimus, qui inter nos de virtute, non de pecunia diſſereremus. Nunc autem in Pontum nauigat negotiandi gratia: atq; adeo ſano conſilio vteretur, ſi hoc tantum ſe decere cogitaſſet: ſed va-

gum ipsius & vagans ingenium, nec tantillum capit prudentiæ, vt quis sit nouerit, & cui rei vtilis. Semper enim in eo vagatur, quod ipsi mentis errore obijcitur. Hic oblitus contumeliarum, accessit ad me, meq; rogauit, vt de se ad te scriberem. Ego vero ei, ne immerenti personam Bellerophontis affingerem, alteram epistolam dedi, nec perinde ementitus sui. Hanc autem Lysidi dedi, qui ante ipsum soluturus erat. Censeo vero equidem, vt omni humanitatis studio hominem prosequaris, & digredienti dicas: talem gratiam refert Chion ijs, à quibus contumelia affectus sit. Hoc enim vnum est ex ipsius studiis: quæ tu habebas ludibrio: ne quis eousq; quemq; malorum vlciscatur, vt ipse minus bonus sit: id quod consequemur, si illos beneficiis vlciscamur. Etsi autem scio non moueri ipsum, cuius animus præ stultitia vulnerari nequeat, tamen hoc vrbano consilio vtamur nostra gratia. Omnia autem de hoc ipso tibi aperui, nihil dissimulans, neq; quidq; tegens: Nec tamen eum apud alium quempiam maledictis infectari velim: verum ad te animum meum nulla oratione vestitum, sed simplicem & disertum esse oportere censui.

EIDEM.

QVI tibi reddit has litteras, Archepolis Lemnius, negotiandi caussa in Pontum profecturus, me rogauit, vt se tibi commendarem: id quod in me lubens recepi. Neq; enim mihi amicus erat. Magnum igitur lucrum credidi, quòd occasionem nactus sum, aliquem mihi amicum parandi, qui prius non fuisset: qua in re tu quoq; mihi opem feres, si ipsum humaniter acceperis. De eo vero etiam mihi persuadeo, satis honestum mercatorem esse. Cum enim antè coluisset studia sapientiæ, iam negotiarur.

BIONI.

NON sperabam futurum vt me ita prorsus negligeres:

res: quamuis neq; ita velim accipere: miror autem quomodo acciderit, vt nulla hactenus abs te littera allata sit: cum alij quotidie scribant. Verum de præteritis ego pro te causſam ipse dicam: sed in posterum siue in culpa sint, qui non reddiderint: hoc perpetua scriptione caue: (ita enim prorsus fiet, vt aliqui reddant) siue tu qui nihil scripseris, & hoc caue. Est autem hac cautione nihil facilius: etsi nostræ amicitiæ tantopere intererat, vt & admodum ardua superaret. An oblitus es Heræi, & Callichori, & exercitationum, quas habebamus apud Callisthenem, & aliorum, quibus animos nostros temperauimus? an horum quidem ipse non oblitus es, at me, postq; philosophiam degustauerim, eorum memoriam exuisse suspicaris? sed minimè te decet, vt vel in amicitia te improbè geras, vel de me siniſtram coniecturam facias: sed alterum, vt cùm illius memineris, tùm ad eiusdem haud immemorem scribas crebrius.

MATRIDI.

PLatoni sunt neptium è fratribus filiæ quatuor: harum natu maximam in matrimonium dedit Speusippo, cum modica dote, triginta videlicet minarum: quas illi miserat Dionysius. Ego igitur gauisus oblatam mihi occasionem, talentum doti adieci. Hoc ille accipere, diu recusabat: tamen eum tandem prorsus vera & honesta oratione expugnaui. Diximus enim: nos conferimus hoc, non vt opes tuas augeamus, sed hoc erat humanitatis nostræ: neq; eiusmodi beneficia repudiare fas est. Conferunt enim ad honorem, quem alia minuunt. Elocauit vero iam quoq; ceteras puellas Athenis viris politis: sed hi abundant: verum Speusippus, ceteris etiam politior, eget. De hoc lucro meo putaui te certiorem esse faciundum, quo maius an in omni vita nobis obuenire queat, haud scio.

CHIONIS
EIDEM.

ACcepi à Bianore epistolam, qua me hortaris, vt domum redeam: sufficere enim ad quamcunq; peregrinationem spatium annorum quinque, me autem hospitem esse cœpisse annum sextum. Ego autem quanto desiderio tenear, & vestri & patriæ; ipsi scitis maximè. Verum hoc ipsum desiderium videtur me compellere, vt longiore tempore Athenis viuam. Malo enim vobis vsui esse, quàm vestra calamitate affici. Illam autem vim habet sola philosophia. At vero quinquennij tempus, mi pater, neque diligentiorem mercaturam facientibus, satis mihi esse videbitur, nedum incumbentibus studio sapientiæ: quamuis illi peregrinantur ob res multo viliores: nos autem in mercaturam virtutis incumbimus: quæ venit nulla alia re, quam natura, labore & tempore: quorum illa non prorsus desideramus, temporis autem egemus. Vbi autem alteros annos quinq; hic vixerimus, reuertemur, conseruante nos Deo. Quo vero consilio tibi persuasum habuisti nos ablegare, eodem oportet te non cruciari animo, si aliquanto diutius absimus: præsertim cum te minimè fugiat, non fieri quem bonum, quod doctrinæ causſa domo nauigarit, sed si diuturnam quis doctrinæ operam impendat.

EIDEM.

EO eram animo antè, quemadmodum scripsi, vt decennio hic acto, ita demum ad vos reuerterer: iam vero postq; de tyrannide certior factus sum; imperare mihi nullo modo possim, vt tutiore loco sim, quàm ciues alij. Igitur primo vere, seruante me Deo, nauigabo. Iam enim, nempe ipsa bruma, non potui. Id enim planè absurdum foret: eos sequi, qui, vbi quid fuerit turbatum in patria, quocunq; aufugiunt: nec tum potissimum præsto esse

esse, quando ipsa maximè viros desiderat, à quibus subleuetur: etiamsi omnino fieri non possit, vt eam quis subleuet. Idcirco calamitatis non expertem esse, virtuti consentaneum mihi videtur: beneficium ipsum fortè minus erit. Confidentius hæc scripsi, cum Lysidi epistolam perferendam dederim.

EIDEM.

REipsa Clearchus, vt mihi scripsisti, non tantopere metuit Silenum, etsi hic illius castellum cœpit, vt nos cultores sapientiæ. Illum qui oppugnarent, misit hactenus, vt audio, neminem: me autem adgressus est Thrax quispiam, qui in eius satellitibus fuit. Cognoui enim deinceps: & paullo quidem pòst, quàm ad te dedissemus de morbo litteras, me adortus fuit, (satis autem me iam recuperaueram) atque in me circiter horam sextum, cum in odêo ambulans quæstionem aliquam animo considerarem, ex improuiso irruit. Sed ipse statim suspicatus sum, quemadmodum erat. Vbi autem ipsum vidi, sicam malè corripientem, sublato clamore, primum terrefeci hominem, accurrensq; eum dextra, qua iam ensem tenebat, prehendo, ac deinceps calcibus peto, eique contorto brachio ensem excussi: cumque hic in pedem mihi decideret, vulnus accepi, nec graue tamen. Deinceps vertigine correptum suo constrinxi cingulo, contortisque in tergum manibus ad prætores duxi: & ille quidem pœnas dedit. Nihil tamen me deterret à nauigatione: quin cessantibus etesiis, vt vt meæ res erunt, nauigabo. Nihil enim sit absurdius, quàm nos patria tyrannide oppressa popularis status felicitate frui: & qualescunq; meæ res erunt, tutæ sunt. Nam siue superero, siue vitam profundam; bonus ero. Vt autem etiam aliquid pro patria geramus persuade Clearcho, nos

ſtudio perpetuo ſapientiæ prorſus abductos eſſe ad otium, & animum noſtrum ad ciuiles res obeundas planè ineptum. Verum hoc ei per Nymphidem perſuadebis, amicum nobis hominem & illi conſanguineum. Hac enim ratione quàm longiſsimè abduci ab omni ſuſpicione poſsit. Hæc autem ad te apertiſsimè perſcribimus: quoniam litteras fideliſsimis dedimus: & Clearchus, vt me docuiſti, qua re bene facit, in hoc genere curioſus non eſt.

EIDEM.

AVdaci ſanè nauigationis curſu, ſed celeri ſaluus veni Byzantium: atque conſtitui hic commorari, quamdiu mihi commodum videatur, & Crobylum famulum ad vos mittere, vt redeamus cum emolumento patriæ. Nos enim in tuto vt ſimus, non eſt in Clearcho. Poſtquam autem cœpi; omnem tibi animi mei ſententiam aperiam. Mihi enim videtur patriæ extremum periculum cum ipſa calamitate imminere. Iam enim vt audio, cædes virorum & exilia perfert: quando præſtantiſsimis ciuibus ſpoliatur, & impiis ſeruit: ac deinceps hoc periculum minimum non eſt, quando hoſtibus omnia feliciter cadunt: vt aliis libido tyrannidis, aliis conſuetudo ſeruiendi oriatur, & res denique ad perpetuum regnum deuoluatur. Perexigua enim momenta etiam diuturnas, & ferè, vt ſic dicam, nulla ratione auertendas miſerias ordiuntur: eſtque in illis magna ſimilitudo cum morbis corporum. Vt enim hi initio facilè curantur, ſed difficilius, vbi inualuerint, & denique etiam prorſus curari nequeunt: & morbi in ciuitatibus: quandiu memoria viget libertatis, & ſeruitute oppreſsis in mentem venit de conſpiratione; excutitur iugum, ſi populus conſentiat: ſin ſemel malum inualuerit, nec ea de

re

re inter homines instituatur sermo, vt illud ipsum propulsent, sed vt minore cum molestia viuant; tunc funditus euertitur respublica. In tantis igitur malis & periculis est patria. Ego autem, si meam conditionem spectare tibi libeat, prorsus extra omnem aleam periculi sum. Ego enim eam seruitutem esse iudico, qua animi vna cum corporibus premuntur: quæ autem animum non attingit, non esse mihi vera seruitus videtur. Eius rei hoc argumentum est: si enim hoc seruitutis malum animum etiam penetret; seruitus sit. Alioquin enim ne malum quidem diceretur. Metus enim miseriæ, & ex miseria dolor; hæc grauissima sunt hominibus non liberis. Quid igitur? qui neque futurum malum metuat, neque præsenti crucietur; hiccine seruiat? At quo modo, à quo seruitutis mala absint? Ne igitur dubites, eum me esse factum à philosophia, quem etiamsi constringat Clearchus, & quocunque malorum genere afficiat, in seruitutem nunquam tamen redegerit. Nullo enim tempore animum comprehendet, in quo inest seruitus, & libertas: siquidem corpus semper variis casibus obnoxium est, etiamsi hero nulli subiectum sit. Quod si vero me è medio tollat; tum veram quoque mihi libertatem largietur. Si enim neque corpus hoc, in quo animus agit, ad seruitutem compulit; quid huic animo defuturum censes, vbi à corpore separatus fuerit? Non solum autem ego, quodcunque tandem patiar, liber ero: sed Clearchus quoque, quodcunque me faciet, seruus erit. Aget enim mecum ipse, non vacuus metu: animi autem libertas formidinis expers est. Quapropter si meam conditionem per se consideremus, erit, vt vides, ad quæque subeunda tutior, quàm ad faciendum Clearcho. Ac meis rebus non cura, sed paruifactio opus est. Prorsus enim

de

de iis sollicitum esse, viri est non prorsus liberi: sed rationes patriæ, quibuscum ipse coalui, non ferunt libertatem, quæ me solum respiciat, verum & moliri aliquid, & periculum adire cogunt: periculum autem, non, ne mihi aliquid eueniat aduersi, sed ne malè affectam patriam meam ope carere patiar. Quare hæc mihi incumbit necessitas, etiamsi omnem metum abiecero, vt mortem præmeditatam mihi habeam: ne prius moriar, quàm pro patria mori queam. Age vero apud tyrannum, de quibus antè ad te scripsi, ipsique persuade, nos otium cupidè sectari, & me per litteras certiorem redde, ecquid aliud tibi videatur, quod ad hanc rem gerendam pertineat: quoniam necesse est, vt ad libertatem patriæ impendam aliquid de mea ipsius: hoc vnum cogito, & hoc consilium capio.

EIDEM.

GRatulor patriæ, persuasa esse tyranno, quæ de me ad eum retulisti. Scribam autem & ipse, quemadmodum consuluisti, eumq; abducam à rei veritate quàm maximè fieri potest. Secus enim si faciam; ciuium meorum & amicorum spem, quam de me conceperunt, fallam, atq; eos minimè dignos, qui fallantur. Porro quod tyrannus etiam prorsus crudelis est; hoc ipsum sanè ego magis ex vsu ciuitatis esse arbitror, quàm si ille deliniret populum, & prætenderet opinionem moderationis. Causa autem hæc est: quod sæui tolluntur statim, & licet non euertantur, tamen in multitudine odium relinquunt tyrannidis, & prorsus hoc imperium sola sua culpa in inuidiam adducunt. Sic igitur accidit, vt deinceps magis sibi caueant, & studiosores sint popularis status vniuersi. Sin quis quos in potestatem ipse redegerit, populari ratione delinierit: hic etiamsi statim sublatus

fuerit

fuerit; multa tamen mala tyrannidis in singulis relinquit. Etenim alij desiderio quorundam beneficiorum, alij alio modo humaniter tractati, planè quid ex vsu reip. sit, non vident: quin & sublati miserentur, vt moderati principis: neq; sibi cauent à tyrannide, veluti à malo incurabili. Nesciunt enim, quamuis tyrannus aliquis in omnibus moderatus sit, tamen vel propterea tollendum, quod ei liceat etiam crudelem esse. Igitur Clearchus cum sæuus sit, & propterea in odio, adoriri ipsum facile est, & efficiet, vt tyrannidem alij minus emendare & stabilire possint. Quod si vero se moderatum simularet; sic & ipse hanc de se opinionem compararet, & si qui deinceps vellent, ijs viam ad occupandam arcem sterneret: verum hæc videlicet te quoq; non fugiunt. De ratione vero scribendi & reddendi litteras gaudeo, te etiam tutam illam arbitratum: id quod & exitus testatur, eam non absurdè excogitatam fuisse. Misi autem tibi quoq; exemplum epistolæ ad Clearchum, quam scripsi instar dithyramborum de industria, vt nos contemneret, qui videlicet hoc dicendi studio insaniremus penitus.

CLEARCHO.

CVM Athenis in studiis sapientiæ viuerem; & ex amicis aliqui, & ipse pater ad me scripsit, me tibi suspectum esse: iussitq; me apud te purgare. Hoc enim æquum esse, & valde ex re mea. Ego autem ab illis rectè me moneri, satis sciebam: verum nesciebam, à quibus delatus essem. Atq; hoc mihi erat ad defensionem accommodatum. Neq; enim ipse aderam, quando regnum tibi comparabas, neq; cum abessem, tibi aduersari poteram: denique non sermo aliquis meus, non vllum meum factum quidquam commune habuit cum ijs, quæ gerebantur. Quæ igitur transmarinæ aduersus tenentem

iam vniuersum imperium hostiles molitiones, hominis cum paucis seruulis absentis peregrè, esse possent; ego non inueniebam. Atq; hac de caussa deficiebat me defensio, quod non videbam, quomodo accusarer. Vicissim autem, cum non cogitarem, quod me suspectum faceret; non deerant mihi argumenta: sed in promptu habeo, quibus eiusmodi consilia mihi in mentem venire non posse, tibi persuadeam. Sic igitur existimo, quod si in litteris non viuerem, hoc satis magnum argumentum esse, me nequaq; hostili animo in te esse, quod nulla abs te iniuria affectus sum. Neq; enim vel litterarum rudes, nisi prorsus insanianant, animi gratia in se amicitias suscipiant: neq; vt puerilium nugarum, sic & odiorum se dedunt amoribus: minimè vero gentium: verum etiam prorsus habent cognitum, nihil esse, quod magis excruciet homines atq; inimicitiæ. Cum autem animi ab aliqua re inter se diuulsi fuerint, tum demum indulgent odiis, atque tum id non vltro faciunt. Nobis autem in hunc vsq; diem nullæ inimicitiæ neque magnæ neque pusillæ inter nos fuerunt: sed tibi nihil amplius præter suspicionem & verba, à quibus animum quoq; meum purgatum esse, ostendo. Quid igitur mihi in mentem venit, vt repentè tibi hostis factus fuerim? cum præsertim neque in hunc diem viderim te imperantem patriæ. an me incitant multæ triremes & equitatus? vt si nihil aliud, saltem hinc suspicari queas, me posse aduersum te inimicitias persequi. Verum nos cum famulis octo domo peregrè profecti fuimus, & duobus amicis, Heraclida & Agathone. Redeo autem, duobus è familia amissis. Non video quomodo ex his in animum tuum inducas, mihi satis magnas esse contra te paratas copias: sed illud non consideras: si mihi conscius essem, culpa mea me tibi in suspicionem ve-

veniſſe, ego ſuſpicanti me vltro non traderem. An ipſe adeo amans ſum inimicitiarum, vt ne meam erga me amicitiam tuear, ſed vltro corpus meum iis tradam, qui hoc iure ſupplicio afficiant? Sed hæc purgatio ſatis plena eſt iis quoq;, qui litteras numquam attigerunt: immo plenior, quàm opus ſit. Ego autem cum natura non abhorrerem à bonis, quæ pollicetur philoſophia: quantum horum potui ad naturam addidi: atque ipſe adoleſcens, neque imperia, neque honores concupiui, ſed ſtatim doctrinæ genium amaui: qui amor Athenas me duxit, & Platoni amicum fecit: neque eo hactenus expleri queam. Cum igitur ingenio ad otium ita factus fuerim, vt adhuc valde adoleſcens, omnia nihili fecerim, quæ ad vitam turbulentam ducerent: deinceps vbi Athenas veni; neque venationi operam dedi, neq; nauibus in Helleſpontum contra Lacedæmonios profectus ſum: neque iis eruditus fui, quæ me tyrannis & regibus infenſum facerent: ſed cum amatore quietis contuli, & doctrinas eas didici, quæ proximè ad deum ducunt, atque ab illo mihi primum demandatum fuit, vt quietem deſiderarem. Hanc enim doctrinarum philoſophiæ lucem eſſe: contra, politiam, & negotiorum tractationem, vt caliginem quandam, illas obſcurare, & ad inuentionem ſapientiæ indagatoribus viam obſtruere. Cum autem neque ineptus ad eam viderer, neque tamen facile omnibus aſſentiri poſſem; tum iam Deum omnium gubernatorem, & compagem mundi cognoſcebam, & naturæ principia perſpiciebam, & quæ huius generis alia tradit philoſophia: neque quidquam habui antiquius, quàm hæc inueſtigare, non tantum noſſe. Quid enim præſtabilius eſt, quàm hominem mortalis naturæ, & Dei participem, ſe ad ſua immortalia aggregare, eaq;

ad cognata perducere? Cognata vero deo dico, quæ in nobis diuina sunt. Hæc mihi fuerunt in votis, & in his perdiscendis omne meum studium collocaui. Rempublicam autem (liceat enim mihi pace tua liberè loqui) ne mihi quidem in mentem venire volebam. Discebam vero præter multa alia, hæc etiam, quibus aduersum te vtar: colere eum, à quo tibi non fiat iniuria: à quo fiat, huic reponere beneficia satius esse: quod si non posset, otium: item amico nihil esse præstabilius arbitrari: verum hostem sibi parare neminem: & qui fit hostis, hunc amicum facere: denique nullum malum tantum putare, vt animum tuum conturbet, aque propriis actionibus conuertat ad alias. Anne igitur existimas, me insidiatorem tibi paratum, qui illa nouerim? Minimè equidem. Verum tibi tu habeas negotia belli & reip.: nobis autem de tuo imperio tantum reseces, quantum viro à turbis abhorrenti satis ad colendum otium esse videatur. Porro vero etiam mihi persuadeo, quod si mihi cum amicis sermonem instituendi potestatem facias; me, quibus tu velis, persuasurum, vt quiescant & à rebus gerendis abstineant, si videlicet, in quibus me exercui, ipsis studiorum sapientiæ laudationes commemorem. Quod nisi ita sentiam, nihil me dici possit ingratius. Age namque, si mihi ijs rebus, quibus tu putas, perturbato, mansueta illa dea, quies, adstet, & ita me compellet: ingratus es, Chion, & malus: ac prorsus disciplinarum illarum pulcherrimarum, adeóque tuimet ipsius oblitus es: me magistra iustitiam exercuisti, & modestiam tibi comparasti: quid sit Deus, didicisti, tuamque cum ipso propinquitatem renouasti: hæc humilia, quantumuis admirabilia, & quæ sunt his similia. Iam vero, quando gratiam referre debes, arctiore nunc

lege

lege & præstantiore animo mecum viuens, & sermonem instituens, tibi coniunctam & tecum conferentem me deferis, neque memineris, te non solum cetera ex philosophia didicisse, verum etiam quemadmodum dextrè quæras, quæ nondum noueris. Atque quomodo tu quæras, aut inueneris, si me careas? Hæc si illa dicit, quid ei rectè respondeam? etenim ego nihil video. Verum ego te scire velim, me hæc mecum semper dicere: siquidem, quæ quis sentit, quisque secum loquitur: neque vllo vmquam tempore ab illis defecero. Consentaneum igitur est, nihil prorsus tibi ex me metuendum esse. Neq; enim vllo pacto mea quies tua negotia attinget.

PLATONI.

MISI ad te biduo ante Dionysia ministros mihi fidelissimos Pyladem & Philocalon. Ipsis enim Dionysiis aggredi tyrannum cogito: postquam diu hoc egi, vt ei minimè suspectus essem. Eo enim die Baccho pompa ducitur, ob quam minus obstare videntur satellites: sin minus; etiamsi mihi per ignem eundum sit, non tergiuersabimur, neque indignum quidquam committam, neque me, neque tua philosophia. Quod etiam ad coniuratos, firma sunt nobis omnia: fide tamen firmiora, quàm multitudine. Hoc autem, scio me periturum: verum ipse mortem etiam in votis habeo, modo tyrannum sustulero. Cum pæane enim, & præmiis, victoriæ destinatis, vitam relinquam, si euersa tyrannide ab hominibus discedam. Mortem enim mihi & victimæ, & auguria, & omnis denique diuinatio prænuntiat: sic tamen, vbi ipsum negotium confecero. Conspexi autem etiam ipse visionem, manifestiorem, quàm in somno appareat. Mulier enim mihi quæpiam, diuina prorsus specie & statura, redimire me corona

ex oleastro & vittis videbatur, ac paullo pòst monumentum quoddam ostendere affabrefactum, meque sic affari: Quoniam, Chion, laboribus defessus es, ingredere hoc monumentum & quietem cape. Ex hoc autem somnio, bona in spe sum, me egregiam mortem obiturum. Puto namque diuinationem animi minimè fallacem esse: quando tu quoque sic statuebas. Quod si hæc diuinatio verum prodiderit, beatissimum me esse iudicem: multoque beatiorem, quàm si mihi sublato tyranno vita in senectam prorogetur. Honestius namq; mihi est, egregio facinore perpetrato, antè ex hominum consuetudine abire, quàm aliquandiu parta felicitate vna frui: quæque nos fecerimus, iudicabuntur multo maiora, quàm quæ patienda eruut: ipsique maiore in honore erimus apud ciues, beneficio affectos, si morte nostra ijs libertatem redemerimus. Nam qui beneficium acceperint, fructus esse ampliores statuent, quibus auctor ipse careat. Sic sanè affecti sumus, quod ad hanc de morte diuinationem attinet. Tu vale, mi Plato, & beatus es, in seram senectutem. Iam te, nisi fallor, postremum alloquor.

FINIS.

Et disertæ sunt hæ epistolæ Chionis & pereruditæ, prorsusq; succi philosophici. In ijs interpretandis præstitum à nobis est, quantum iudicio & diligentia assequi potuimus, videmurq; nobis vt plurimum rectè reddidisse sententiam. Fieri etiam potest, vt si conferantur cum græcis, lucem illis ipsis alicubi addidisse videamur. Proinde nobis veniam facilius dabit eruditus lector, si alicubi nos hæsisse animaduertet. Nam & lapsi fuerimus, vbi non arbitremur, & vno alteroq; loco, neq; ipsi nobis satisfecimus. In quibusdam etiam benè redditis, consideratione tamen opus est. Ex primis ἀξιωματῶν, quæ hic attinguntur, hoc est, Platonicum prorsus: τὴν φιλοσοφίαν οὐκ εἶναι ἀπολίτευτον: nec esse hoc genus hominum, id est, verè studia sapientiæ colentium, molle, nec ineptum ad res gerendas. Hoc de Atheniensibus prædicat Pericles apud historicorum principem: φιλοκαλοῦμεν, inquit, μετ' εὐτελείας, καὶ φιλοσοφοῦμεν ἄνευ μαλακίας: verum hæc Plato disputat eruditè, & explicat luculentè libris de repub. quincto & sexto. Ceterum quod ad historiam de tyrannide Clearchi, cognosces ex Iustino, qui eam rem perstringit in extremo libri XVII: plura te docebunt fragmenta Memnonis: vide & Athenæum lib. III. δειπνοσοφιστῶν: item Suidam. Quæ de inconstanti ingenio Archepolidis scribit Chion, congruunt cum hoc loco Aristophanis, ὄρνισιν: Ανθρωπος ὄρνις ἀσταθμητος πετόμενος: Ατέκμαρτος, οὐδὲν οὐδέποτ' ἐν ταὐτῷ μένων. Sed plura annotandi hic locus non erat.

Libellum relegendum ab amico, editum iam, denuo curauimus. errata à typographo commissa, aut perleuia sunt, aut lectori, litterarum non prorsus rudi, statim obuia. In his, quod (contrà) bis positum fuit vno loco, quorum alterum tollatur. Item parricidia pro parricida alicubi, nos, pro uos. Sed neq; hæc attinebat notari.

XENO[illegible]ONTIS
CY[illegible]EDIÆ

LI[illegible]RTIVS.

Nicola[illegible]sdorf. Io. Caselius

IOAN[illegible]ASELIO

[illegible]e.

Eiusdem [illegible]n de educatione
princi[illegible] secunda, &
[illegible]tolæ.



[illegible]HII

Ex o[illegible] Myliandri.

A[illegible]XXCII.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn863619088/phys_0107